DIALECTICA

Ad Mentem Eximii Magistri

JOANNIS SCOTI,

DOCTORIS SUBTILIS, Angli.

Ex Universis ejus Operibus genuinis, fideliter eruta, & elucidata;

Operâ JOANNIS SAN-CRUCII, Nordovicensis.

Nihil, aut tantâ difficultate interceptum, aut tam densâ caligine involutum, quod SCOTI *ingenium non potuerit penitùs inspicere, ac clarè aperire.* Joan. Less. Ep. Rossen. Hist. l. 7. p. 250.

LONDINI,

Impensis *J. Martini* Societatis Regiæ Typographi, ad Insigne Campanæ in Cæmeterio D. Pauli.

M. DC. LXXIII.

Ars
8° J 52.

DIALECTICA

Ad Mentem Eximii Magistri

JOANNIS SCOTI,

DOCTORIS SUBTILIS, Angli.

Ex Universis ejus Operibus genuinis, fideliter eruta, & elucidata;

Operâ JOANNIS SAN-CRUCII, Nordovicensis.

Nihil, aut tantâ difficultate interceptum, aut tam densâ caligine involutum, quod SCOTI *ingenium non potuerit penitùs inspicere, ac clarè aperire.* Joan. Less. Ep. Rossen. Hist. l. 7. p. 250.

LONDINI,

Impensis J. *Martini* Societatis Regiæ Typographi, ad Insigne Campanæ in Cæmeterio D. Pauli.

M. DC. LXXIII.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

Illustrissimo ac Excellentissimo Domino;

D. HENRICO HOWARDO:

Nordovici Comiti;

Et Comiti Marischallo Angliæ &c.

Suoque Patrono singulari.

PRæclara *Mentium immortalium* Ornamenta *sunt, scientiæ & virtutes; quarum Usu & augmento in* Vitâ *hac* mortali, *metienda præsertim est Hominum* Fœlicitas; *Quamvis enim ad* Beatitudinem *Sanctiorem natis advenient deforis, ac sublimioribus ancillentur* Vitæ Christianæ *præceptis & institutis, animum tamen* Beati Dei *capacem, interius mirè venustant; ac in* Veri *Contemplatione*, honestique *actione*, (*quibus veluti è cælo porrectis alis*, in superna *ferimur*)

roborant ac perficiunt; recte enim P. Silent.

Ἡδ' ἀρετὴ σταθερόν τι καὶ ἄτροπον, ἧς ἐπὶ μούνης
Κύματα θαρσαλέως ποντοπόρει βιότου.

His fœcundis radicibus *crevisse*, Columinibus *firmissimis stetisse*, *ac per tot Annorum centurias inconcussam floruisse*, *ILLUSTRISSIMAM GENTEM TUAM*, *COMES EXCELLENTISSIME*, *nescit nemo*, *qui vel* gentilitium *HOWARDORUM*, *vel* honoraria Ducum *NORFOLCIÆ*, *aut* Comitum *ARUNDELIÆ & SURRIÆ Nomina*, *Stemmatibus*, *Dignitatibus*, *Victoriis*, *Conjugiis*, *per* occiduas *Mundi regiones clarissima*, *audivit eminùs*. *Quorum proinde*, *dum in TE UNO*, *Cunctorum HÆREDE amplissimo*, clientelam *ambit hæc* Dialectica *mea*, Claritudini *gloriæ tuæ conferet nihil*, *suæ duntaxàt consulet* dignitati. *Non enim* alienæ Lucis *radiis eget inclyta GENS TUA*, *quæ nativo ac*

traduci

traducei Majorum *celeberrimorum fulget ſplendore, cujuſque* Excellentiæ *omnes ampliſſimæ, jure* Sanguinis & Indolis, *in Te devolvuntur; auctæque, in ſinu TUO, veræ* Nobilitatis *uberrimo, veluti ad* centrum *ductæ* lineæ, *ſubſiſtunt, ac conquieſcunt.*

Perilluſtribus Herôum *Nobiliſſimorum catervis, ab* origine *Clariſſimus cum ſis; longo tamen traductam in Te tractu* Claritudinem, *TUAM non arbitraris, niſi* Antiquiſſimam *quoque ILLUSTRISSIMÆ GENTIS TUÆ* Nobilitatem, *egregia Animi TUI* Generoſitate *amplifices; eâque tanto es clarior, quanto* meritis *TUIS fœcundior, hiſque paribus cumulatus* Honoribus *domi, foriſque, factus es Illuſtrior;* Ita, è fonte præclaro, fluenta profundis clariora. *Fortuitis enimverò Titulorum, ſtemmatum, dignitatum, Magiſtratuum* ſplendoribus *non evehitur pectus tuum* Generoſiſ-

simum, *quod Immensos* Honorum *cumulos, promeruisse potius, quam possedisse, in* votis *habet*; *Inaneque & alienum reputat, quicquid extra* merita *creditur*; *sic, ut* sol, *TEIPSO* Lucidus *es, mutuato effulgere lumine, dedecus æstimas*; *Nominis enim* Gentilitii *Magnitudo*, Avitaque, *ac pro* meritis *adjecta Dignitatum* Paludamenta, *quæ aliis veneretionem conciliant, Ex TE* Claritatem *ambiunt, recipiunt* amplissimam, *tribuunt* nullam; *quæ enim* splendida *sunt, ambis*; *quod* præclarum *non est, despicis*; *neque* Honoribus *Gloriaris, qui minui possunt. Ut dum ILLUSTRISSIMA TUA contemptor stemmata, Gesta, Merita, quasi è* Pectore *TUO*, Solis *instar*, Radios *multiplices Lucidissimos, undequáque promicantes intueri mihi videar. Tantis siquidem*, Indolis *celsitudine*, Judicii *pondere, sublimitate* Consilii, morum

rum *ſuavitate*, *perpetuâque in* Principem Sereniſſimum *fide*, (*Jure hereditario à* Majoribus *cum incremento in* TE *tradu*ctâ) *cæteriſque præclaræ Mentis* dotibus, Natalium *TUORUM perilluſtrium* ſplendorem *amplificas*, *ut* periiſſe penitus, quæ ex TE non eluceſcit, Magni animi Claritudinem, *cenſeant omnes.*

Sed neque excelſis his duntaxat, *tum* connatis, *tum* adſcititiis, *Nobiliſſimi Pectoris tui* Monumentis *clarus es*; *Scientiarum omnium ac Virtutum* altiſſimarum cultores *ac* cuſtodes, *ita affectu complecteris*, *ut TUOS faciæs. In ædibus tuis ARUNDELIANIS*, Societati Regiæ, *Sapientiſſimorum planè virorum* Synedrio, Aulam *inſtituis*, Bibliothecam *attribuis*, *TE ipſum inſcribis* Socium; *ſed nec*, *quæ* Magnis *delectatur*, mediocres *Ingeniorum* fœtus *faſtidit Mens TUA* Genero-

ſiſſima, *probe ſciens*, è fonte modico ingentes tumeſcere Oceanos; è radice enaſci ſylvas, ac ampliſſima *quævis* parvis grandeſcere incrementis.

His ego fretus, *tum* Nobilitatis, *tum* Generoſitatis *TUÆ* Indiciis *Clariſſimis*, Dialecticam *hanc*, *primam* Philoſophiæ *meæ* Scoticæ *partem*, *Totiuſque* Clavem, *TUO cenſui dicandam* Nomini *Illuſtriſſimo*, *TUA muniendam* Authoritate, Patrociniique *TUI clypeo adverſus quorumvis protegendam Inſultus*, *ac ſub Excellentiſſimis ſtemmatum tuorum* Inſigniis, *perennitatem quandam fœliciter aſſecuturam: ſed & aliis pleriſque* Titulis, *hæc Mea* è Subtili Scoto *collecta ſpecimina*, *TUÆ ſunt* Excellentiæ *conſecranda*; fructus fundum ſequitur, *l. qui ſcit.* 25. §. 1. *ff. de Uſur.* fundus Domino melioratur *l. 7. de acquir. rer. domini.* Nordovicenſis, *COMITI ſuo Illuſtriſſimo*; familiaris *PATRONO ſuo* Colen-

lendissimo, *debitum exolvit.* Quin, & Majorum *TUORUM fortissimorum* Triumphi, Northumbriam, *SCOTI* Patriam, *ANGLIÆ* Coronæ *adscivere*; *ac Proinde ipsum* SCOTUM, *primùm* Anglum, *tum* Subtilem, *effecere. Jure ergo* victricis familiæ *TUÆ*, *sub auspiciis TUIS fœlicissimis*, Extorris Scotus, *Angliæ* suæ, *suoque* Oxonio *asseritur*; *Meisque denuo conatibus*, *excussa utcunque* Nominis ejus *caligine*, Orbi Britannico *Per TE* Redivivus, *effulget SCOTUS* Anglus, SUBTILIS. *Hincque scient omnes*, *Comes Illustrissime*, *quantum sibi* Gloriæ *nanciscuntur*, *bonarum* Artium Patroni, *quantum* Scientiarum *altissimarum* Cultoribus *adferunt* Emolumenti, *dum sub* Clientula *TUA Excellentissima*, *summus* Philosophiæ *abditissimæ* Magister, *ab inducta* (*temporum ac morum incuria*) oblivione *ingrata vindicatur*; *discentque*

Nostra-

Nostrates Subtilissimi, *ab exteris ingeniis* mutuanda *non esse scientiarum* subsidia, *quibus in omni* subtilitatum *genere*, fontes domestici *scaturiunt* copiosè. *Vale.*

Illustrissimæ *ac* Excellentissimæ Dominationis *TUÆ*

Kalendis Februi; 1673.

Devotissimus Cliens
Joannes San-crucius.

AD

Ad Philo-Dialecticos

OXONIENSES.

PRÆFATIO.

POst fatalem *Regiorum* exercituum in *Agro Nasbæano* cladem, quando ſub *rebelli* ac victoriis ſuperbo *hoſte*, nulli *Bono* futuram proſpicerem *ſecuritatem*, *Togam* ſaga, *Calamum* gladio, utiliorem ratus, jucundiſſimarum *Pacis Artium*, inter deſperatiſſimos hoſtilium *graſſationum tumultus* tranquillè perdiſcendarum *cupiditate* accenſus, ſeceſſi, proficuis ſcientiarum *altiſſimarum* diſceptationibus, Me totum dedere decernens. Peropportunè ad id delectabilis ocii, nactus amici *hoſpitis* Domicilium, *codicumque*, tum

tum *ſubtilitate*, tum *authoritate* celebrium, commodum *ſolamen*, iis inſtructus adjumentis, (deplorato *Innocentiſſimi Principis*, ac, cum ipſo, fœlici *Rerum Civilium* ſtatu,) in reparandis publicis jacturis *impotentiam*, privato *Ingenii* cultu, indeque forſan enaſciturâ *Elucubratione* aliqua, compenſaturus, abditioris *veterum* magis *Illuſtrium* Philoſophiæ *Arcana*, ac *varietatem* elegantem, (extremum doloris, ſub calamitoſa temporum iniquorum *Tyrannide*, levamentum) operoſius indagavi; oppoſitè utique in *Mentem* incidit id *Phocylidis*.

Βίλτερος ἀλκήεν]ος ἔφυσι σοφισμένος ἀνήρ,
Ἀγρὸς, καὶ πόλιας Σοφίᾳ, καὶ νῆα κυβερνᾷ.

Antiquiores proinde potiſſimos, *Recentiores* ferè omnes, Philoſophiæ *Magiſtros* inſignes ac *claſſicos*, lentè, quinque luſtrorum *ſpacio* decurri; inque omnibus reperi, quod

quod *admirationem* primò, tum quod *ambitionem* plurimam excitaret. *Philoſophiam* enim, veluti *Cœlum* quoddam, pulcherrimè *ſtellatum*; Sanctioris vero *Philoſophiæ* cultores & propagatores illuſtres, *planetas* præclaros, in ſuo quemque *Philoſophandi genere*, tanquam in *proprio orbe*, jucundè rutilantes; ſemper ſum arbitratus; adeo ut, cum ſplendoris ac acuminis *ſolidioris*, nonnihil habeant omnes, in quo *pares* non ſint, *Univerſos* tamen, ſumma cum *voluptate* conſpiciendos, ac ſingulari cum *utilitate* perdiſcendos, non immerito judicem.

Verùm, quantumvis *cæteros* omnes, ampliſſimos *Scholarum*, *Realium*, *Nominalium*, *Neutraliumve* Recentiorum, aut Veterum *Atomitarum* fundatores ac Illuſtratores *inſignes*; vigili *aſſiduitate* venerandos ac evolvendos cenſeam; SCOTUM tamen, OXONII veſtri

Decus,

Decus, ingeniorum acutissimorum *Cotem*, DOCTORUM SUBTILEM, ac *Scholæ* SCOTISTARUM *Principem*, Universis præferendum judicabit, quisquis SOLEM, *luminis fontem*, *Majoris mundi oculum*, ac *inferioris vitam*, syderibus cunctis *anteponendum*, æstimaverit, *æquus judex*; qualem, pro foro competenti, mecum in hac *censura mea* concertaturum, jure arbitrabor nullum, qui vel universis *Philosophorum placitis* discutiendis assuevit remissiùs, vel è *fontibus* hisce *profundissimis* hausit rariùs, vel qui (*Sciolorum* instar, cum *Dialecticæ pontem* vix salutaverint, *Authorem* certè *classicum* non evolverint, summorum tamen *Magistrorum* gravissima *dogmata*, ἀϋλοι ἔφεσαν, superbè perstringunt) de incompertis *Viri profundissimi* subtilitatibus, censuerit insultiùs.

Philosophiam enim sic excoluit *Scotus*, ut ejus *inventor* esse posset, nisi

nisi *natam* invenisset: *Mysteria fidei* ita *scivit*, ut penè non *crediderit*: *Naturam Dei* ita *descripsit*, quasi *aspexisset*; *Arcana Providentiæ*, quasi *penetrasset*; *Angelorum attributa*, quasi *Angelus* esset; *delicias* alterius *vitæ*, quasi *prægustasset*: *paucis* annis tam *multa* scripsit, ut iis legendis, *vix unus*; intelligendis, *vix ullus* sufficiat; *scripturus plura*, *si scripsisset minùs subtiliter*; Tantus fuit *Scotus vester* Subtilissimus! Ejus proinde altissimarum *speculationum* lectioni avidè assuescens, satur nunquam, tum ob expertam *Philosophiæ* abditissimæ *Claritatem*, tum ob insignem in refellendis *Adversariorum* dogmatibus *Modestiam*, tum ob vehemens, quo ardebam, *desiderium*, SCOTUM vestrum, *Immortalem subtilium Indicem*, *Angliæ* suæ, *suoque* OXONIO fœliciter vidicandi; fieri tandem posse existimavi, ut hujus *vestri Solis augustissimi* collustra-

lustratus *radiis*, veritatis *metam* securiùs pertingerem, aliisque ad eam perveniendi *semitam* commonstrarem; votique mei me utcunque compotem spero, in Cursu *Philosophico quadripartito*, quem obstetricante *Scoto vestro Subtili* parturio, cujusque hic *Unguem* exhibeo, *Manuductorium prælogicale*, integrum, facilique digestum *Methodo*, ad recludendos *Sapientiæ Scoticæ* & omnifariæ *Thesauros*, *Clavem Universalem*.

Importunum proculdubiò *nonnullis* videbitur, quòd post tot, tamque *præclaros* subtilitatum omnium *Magistros*, qui *Lauream* in edisserendis *Artis Dialecticæ* Rudimentis, insigniter sunt promeriti; cuipiam in mentem venerit, toties tam *solidè*, in quovis *Philosophandi* genere, exactum *Opus* recudere; nauseantique huic ISAGOGES & ELENCHOS *sæculo*, *fastidiosam* denuò obtrudere SCO-

TI

TI *Dialecticam*; Hâc quoque Me fateor cogitatione, dum *Philosophiæ Systemati* perfecto, ac *Opusculo* præsertim huic *prælogicali*, è *Scripto Oxoniensi*, aliisque subtilis Scoti *genuinis* elucubrationibus, concinnando, jurisque *publici* faciendo, anxius adlaborarem, fuisse pluries interpellatum, & à cœpti prosecutione, tantum non absterritum; præsertim dum altiùs perpenderem, tetricam *materierum* harum *arduitatem*, ac *censoriam scepticorum*, ne dicam *Cynicam Sciolorum*, in dijudicandis, conviciandisque quorumvis *Ingeniorum* monumentis severitatem; de quibus recte *Menand.*

Ἅπαντες ἐσμὲν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί,
αὐτοὶ δὲ ἁμαρτάνοντες οὐ γιγνόσκομεν.

Verùm evicit, *Amicorum*, (quorum apud Me summa est) *Authoritas*; evicit & ipsa imprimis *amica veritas*, ut cœpto pergerem trami-

te, primùmque *Breviarium* hoc *artis Dialecticæ*, quod ſudans algenſque, tot annorum ſpacio parturrieram, evulgarem; neque enim inutile futurum judico, quod è tanto tempore *indormientis* ac penè *ſepulti noſtrâtis* SCOTI, *Subtilis veſtri* Arcanis, erutus *Dialecticês*, undequaque integræ *Theſaurus*, pro *Oxonienſium Philo-Dialecticorum*, *Subtiliumque* Univerſorum uſu ac beneficio, proſtet publicè.

Certè, ſi erga *Patriam*, præclaris *Ingeniorum* partubus perpetuò fœcundam, deberi obſervantiam, ſuadeat, à *natura* intentus hominum *convictus*; ſuadeat, *ortui*, & *Sociali vitæ* debitrix *Pictas*; fructuoſiſſimè, tum in ſummis *Sapientiæ* omnifariæ *Magiſtris*, ab oblivione turpi vindicandis; tum in jamdudum inventis *Philoſophorum placitis*, novellæ *Scholarum*, ac ſtudiorum ſuccreſcentium *Methodo* & exercitationi adaptandis,

adla-

adlaborabitur. Ignavum proinde *Me* non censebit ullus, (quamvis Ego *almæ Matris Cantabrigiæ*, Aulæque *D. Benedicto* Sacræ, quæ *Thomistarum* assueseit *Oraculis*, Alumnus fuerim) si hocce obstetricante *Artis Dialecticæ* Breviculo, è ruderibus tanti viri, *Angliæ nostræ, vestrique* imprimis OXONII celeberrimi, *Decoris* ac *Ornamenti* eximii, cui *Institutionem*, ac subtilioris *Doctrinæ* acumen debet, extracto, *Angliæ suæ*, *Vestroque* per ME *Oxonio*, reviviscat *Subtilis* SCOTUS; fiatque per Vos, viros *subtilitatis* omnis *sectatores* assiduos, ut SCOTISTARUM *subtilium* Schola, tot *subselliis*, *Doctoribus*, *prælis*, per *Europam* famosissima, *Suâtes* Domi habeat *Aulas*, *Cathedras*, *Præfectos* Scotistas *subtilissimos*; quæque Orbi *Universo* per tot sæcula, *Scholarum fundatores* ac *Magistros*, in omni *Scientiarum* genere præbuit celeberrimos, *Aca-*

demia vestra, Virorum *Illustrium* semper feraciſſima, diſcuſſis imbellium *novitatum* ac *errorum* ſcumis, limpidiſſimos *Philoſophiæ* latices, è propriis *Antiquitatis veneranda* hauriat *Lacunis* ſaluberrimis, eamque ſuæ propinans *Inventuti deletiſſimæ*, efficiat, ut *altiſſimis* SCOTI *Veſtri* SUBTILIS aſſueta *Theorematibus*, *Britannia* per VOS *Univerſa* SCOTIZANDO SUBTILIZET. *Valete.*

Index Capitum & Sectionum.

Præfatio. Pag. 1
Lib. 1: *De Forma Syllogismi.* p. 1

Cap. 1. De termino pag. 6.

§. 1. *Quid Terminus in Communi?* p. 6
§. 2. *Quotuplex Terminus in Communi?* p. 8
§. 3. *Quotuplex Terminus ratione significationis?* p. 9
§. 4. *Quotuplex Terminus ratione modi significandi?* p. 11
§. 5. *Quotuplex Terminus ex parte rei significatæ?* p. 15
§. 6. *De Terminis Prædicabilibus.* p. 17
§. 7. *De Terminis Prædicamentalibus.* p. 20
§. 8. *Regulæ Prædicamentales.* p. 26
§. 9. *De Terminis post-Prædicamentalibus.* p. 27
§. 10. *De Terminorum suppositione.* p. 31
§. 11. *Affectiones Terminorum vi copulæ Verbalis.* p. 37
§. 12. *Affectiones Terminorum Vi Denominativi Determinantis.* p. 40
§. 13. *De Terminis Exponibilibus.* p 43
§. 14. *Termini Distinctivi usitatiores.* p. 47

Cap.

INDEX.

Cap. 2. De Propositione. pag. 50.

§. 1. *De Nomine.* p. 50
§. 2. *De Verbo.* p. 52
§. 3. *De Oratione.* p. 53
§. 4. *De Propositione in communi.* p. 54
§. 5. *De Propositione Categoricâ.* p. 56
§. 6. *De Propositione Modali* p. 60
§. 7. *De Propositione Hypotheticâ.* p. 62
§. 8. *De Oppositione Categoricarum simplicium.* p. 66
§. 9. *Æquipollentia Categoricarum simplicium.* p 71
§. 10. *Conversio simplicium Categoricarum.* p. 74.
§. 11. *Oppositio, Conversio & Æquipollentia Modalium.* p. 77
§. 12. *Oppositio, Conversio & Æquipollentia Hypotheticarum.* p 82
§. 13. *De Propositionibus Exponibilibus & Insolubilibus.* p. 84

Cap. 3. De Syllogismo. pag. 87.

§. 1. *Quid, & Quotuplex Argumentatio?* p. 87.
§. 2. *Regulæ Generales bonæ Argumentationis.* p. 89
§. 3. *Quotuplex Argumentatio bona?* p. 93
§. 4. *Quotuplex Syllogismus?* p. 95
§. 5. *Principia Syllogismi regulativa.* p. 97
§. 6. *Regulæ communes & speciales figurarum.* p. 99
§. 7. *Figuræ & Modi Syllogistici.* p. 106

§. 8.

INDEX.

§. 8. *Regulæ Syllogiſmorum perfectivæ.* p. 112
§. 9. *Quotuplex Syllogiſmus Categoricus?* p. 115.
§. 10. *Quotuplex Syllogiſmus Hypotheticus?* p. 118
§. 11. *Inventio Medii Syllogiſtici.* p. 121
§. 12. *De Modis ſciendi.* p. 123

Lib. 2. *De Materia Syllogiſmi.* pag. 130.

Cap. 1. De Demonſtratione. pag. 131.

§. 1. *Quid, & Quotuplex Præcognitio & Præcognitum?* p. 131
§. 2. *Quis effectus Demonſtrationis?* p. 133
§. 3. *De Principiis Demonſtrationis.* p. 135
§. 4. *Quid & Quotuplex Demonſtratio?* p. 145
§. 5. *De Medio Demonſtrationis à Priori.* p. 150

Cap. 2. De Syllogiſmo Topico. pag. 152.

§. 1. *Quid Propoſitio Probabilis?* p. 152
§. 2. *Materia Topica.* p. 154
§. 3. *Locus Topicus.* p. 156
§. 4. *Locus Differentiæ Maximarum Extrinſecus.* p. 157
§. 5. *Locus Differentiæ Maximarum Intrinſecus.* p. 174
§. 6. *Locus Differentiæ Maximarum Medius.* p. 180.

Cap.

INDEX.

Cap. 3. De Syllogismo Sophistico. pag. 181.

§. 1. *De Sophismate.* p. 181
§. 2. *Sedes Differentiæ Fallaciarum in Dictione.* p. 181
§. 3. *Sedes Differentiæ Fallaciarum extra Dictionem.* p. 194

DIA-

DIALECTICA
Ad Mentem
DOCTORIS SUBTILIS.

Præfatio.

1. EA *Scientia quæ nunc* Philoſophia *dicitur, olim* Sophia, *id eſt* Sapientia *dicta eſt:* & Philoſophi, Sophi *ſeu* Sapientes *ſunt antiquitùs appellati; verum cùm vocabula illa, ob faſtum, quem præ ſe ferebant, multis diſplicerent:* Pythagoras *primùm Scientiæ ipſi,* Philoſophiæ *nomen indidit; & pro ſuâ Modeſtiâ non ſe* Sophum *ſed* Philoſophum *nuncupavit.* Philoſophia *autem* propriè *Sapientiæ* Amorem; appropriatè *Scientiam* ſtudio *comparabilem ſignificat. In* Athenarum *gymnaſiis inſigniter exculta fuit, & propagata, non tamen ab eorum Magiſtris Sapientiſſimis ex-*

cognitata: utpote Abrahæ, aliisque Sanctis Patriarchis admodum suis familiaris; quinimo & ipsi primo Parenti Adæ in felicibus Paradisi terrestris arcis, in primâ Creatione concessa, & ab eo ad Posteros, dispari licet cultu, pro Statuum sub quibus vixere, ac industriæ, quam in investigandis veritatibus naturalibus adhibuere, vario discrimine, transmissa.

2. Aristoteles Stagirita, Philosophus per Excellentiam, ab ingenii acumen dictus, ac Doctrinæ Peripateticæ Magister, (cui præ aliis debemus, quod Philosophia, copiosa quæstionum varietate, Doctrinæ Methodo facilioris, ac Terminorum Doctrinalium compendioso artificio, sit illustrata;) Philosophiam definit, 1. Met. 1. Cognitionem rerum ut sunt, seu per Causas: *Ex admiratione enim, & notitiâ effectuum, Causarum vero ignorantiâ, ortum est in Hominibus*, Philosophandi, id est causas cujuslibet rei proprias, inquirendi & cognoscendi, studium. *Diversimodè à diversis dividitur*; commodissima ea videtur Philosophiæ totius, naturaliter acquisibilis Partitio, quam à Stoicis mutuatur Aristoteles 2. Top. 12. in Naturalem, Moralem & Rationalem. Philosophia enim *ad eam hominis felicitatem, quam in hâc vitâ consequi potest, ordinatur: hæc autem ex* 1. Ethic. 7. & 8. *partim in* Veritatis *contemplatione, partim in* virtutis *Actione, sita est*: *Pars igitur una arcanas rerum Naturas scrutatur, adeoque tota in veritatibus investigandis, iisque gratiâ sui cognoscendis occupatur*; & *hæc* Philosophia Naturalis *dicitur*; *ac in* Physicam, Mathe-

Mathematicam & Metaphysicam *subdividitur: Pars alia, Morum seu Actionum honestarum regulas expendit, quæ eâ ratione* Ethica *seu* Philosophia Moralis *appellatur; quia vero neutra sine discursu acquiri potest, Intellectus autem inster in suis operationibus, ut plurimùm speciebus alienis, iisque præsertim Partis Imaginativæ nititur, ac proinde non rarò deceptioni in suis Ratiocinationibus exponitur, adjicienda fuit Pars altera,* rectè Logica & Philosophia Rationalis *dicta.*

3. *Philosophia igitur* universa, *adæquatè,* quadrimembris *esse potest; ne Pars ea, quæ* Naturalis *dicitur, in unam collecta, ob amplissimam Materierum varietatem, confusionem pariat; porrò Partis cujusvis hæc erit Sphæra:* Logica *regulas quasdam Ideales seu veritates objectivas considerat, quibus Intellectus deinceps, secundum tres ejus Operationes,* Simplicem *Sc.* Compositivam & Discursivam, *in Veritatibus Speculativis & Practicis investigandis, dirigitur & rectificatur.* Physica *contemplatur ea omnia, quæ in sese* Motûs & quietis, *ac Perfectionum connaturalium Principium intrinsecum habent, tum quoad conceptus communes, tum etiam quoad Particulares rerum simplicium ac Mixtarum notabilium; omnium siquidem simpliciter contemplatio, amplum nimis Tractatum postularet. Et licet* Mathesis *in Scholis Physicis raro tradi soleat, ne tamen desit quidpiam, quo Mens Sciendi avida apertiùs illustretur,* Mathematicarum *Disciplinarum naturam & Partes compendiosè discussa,* Phy-

ficæ *subnectentur.* Metaphysica *speculatur* Communissima & Altissima *rerum omnium Principia, quoad* Esse & Cognoscere; & *quidem* Primæ *Substantiæ separatæ Infinitæ, rationes* Proprias, & Communibus *tantum; Intelligentiarum autem cæterarum* Propriissimas *considerat.* Ethica *demum, discutit vitæ honestæ regulas, earum Principia constitutiva, Partes, Adjumenta, Impedimenta, & Præmia; habetque Mores, in communi saltem, conformare. Ex quo conspicuè patet, amplissima Philosophiæ* in se *dignitas;* & quoad Nos utilitas *maxima, tum quoad privatam Hominis cujusvis Institutionem, institutionem & ornatum; tum quoad publicum Reipublicæ Christianæ universæ Commodum ac pacem; ac demum ad Theologicas Scientias ordinatè acquirendas,* Necessitas *non exigua.*

4. *Verum, quantumvis excellens ac utile sit* Philosophiæ *studium, nisi (ut fit in aliis disciplinis perdiscendis) Instrumentorum Philosophicalium* Mysteria, Partes & Usus, *prævia discussione exponantur ac percipiantur distinctè, incassùm illius arcana pertentantur; idcirco pro more Scholarum, ac discentium beneficio, puriorisArtis* Logicæ, Terminos *doctrinales, eorumque Proprietates perplexas, combinationes & fœcunditatem; complexionum quoque simplicium & inferribilium* Evidentiam, Opinibilitatem & Sophismata, *in hoc opusculo, ad Philosophiam* Subtilium, *de Mente* Doctoris Subtilis *manuductorio, illustrare, est imprimis necessarium.*

DIA LEC-

DIALECTICÆ, AD *Mentem Doctoris Subtilis*

LIBER PRIMUS.

De Forma Syllogismi.

5. ADæquatum Logicæ *Aristotelicæ* objectum est *Syllogismus*, ex *Scot.* q. 3. *Univer. n.* 7. *Is* autem dupliciter considerari potest, primo quoad *Formam*, secundum quam Syllogismus disponitur, secundo quoad *Materiam* circa quam Syllogismus versatur; adeoque Dialectica tota, penes Syllogismi formam & Materiam in *duos Libros* completè dividitur. Tria autem sunt, quæ ad *formam* Syllogismi spectant; Primò *Termini*, ut Principia remotè Syllogismum integrantia: Secundo *Propositiones*, ex quibus Syllogismus proximè conficitur; & hæc duo, eâ ratione, *Materia* Syllogismi *ex quâ* dici solent. Tertio utrorumque in debitis *Figurâ* & *Modo* dispositio, tanquam eorum approximatio, ad assensum

assensum Conclusionis per Syllogismum collectæ, generandum; ideoque Liber Primus in tria Capita subdividetur. Quia vero ex *Scot. c. 6. Gram. Specul. n. 7.* Ultima Syllogismi resolutio stat ad Simplices Terminos, primo agendum erit de Naturâ *Termini*, ejusque multiplici *Divisione*, ac *Proprietatibus* variis.

CAPUT PRIMUM
De Termino.

§. 1.
Quid Terminus in Communi?

6. *Terminus* dupliciter sumitur, Primò *largè*, quomodo coincidit cum *Dictione*, adeoque sub se comprehendit Terminum *Significativum* & *non Significativum*; *per se*, & *cum alio Significativum*; *Complexum* & *Incomplexum*, &c. Secundò, *Strictè*, & 1. *Prior. 1.* definitur, *In quem resolvitur Propositio, ut Prædicatum, & de quo Prædicatur*; id est, *est Extremum, in quod Propositio Categorica est immediate resolubilis, per sublationem Copulæ verbalis*; ut in hac, *Homo est animal*, ly *Homo* & ly *Animal*, sunt Termini; quia ipsi

ipsi soli supersunt, sublato ly *Est*, quod utrumque copulabat.

7. Et hujusmodi est, omne *Nomen Substantivum*, ut *Homo*, *Lapis*, &c. idque etiam extra Propositionem, non quidem in *actu*, sed *potentialiter* solum: quomodo communiter, de rerum Essentiis loquuntur Philosophi: similiter in hac *Modali*, *Hominem esse animal est necesse*, *dictum*, quod est ly *Hominem esse animal*, est Subjectum; non enim inconvenit, id quod est in se *formaliter totum*, esse Partem materialem respectu alterius *Totius*: sic enim in vivente, Corpus Organicum est quid *Totum*, è Materia Prima & forma Mixti heterogenea exurgens: est tamen *Pars* tantum totius viventis; secus dicendum de Extremis *hypotheticæ*, quia sunt duæ integræ Propositiones, conjunctione aliqua vnitæ; ut *Petrus est Homo & Petrus est albus*; *si Petrus currit*, *movetur*. &c.

8. *Literæ* verò ut *A. B. Syllabæ* ut *Be*, *Bi*; voces *non* significativæ ut *Bliltri*; Casus *obliqui* ut *Hominis*; *Præpositiones* ut *Ab*, *Præ* &c. per se Termini non sunt, cum aliud à se non significent; bene virtute Substantivi subintellecti; unde in hâc *A est litera*, ex parte subjecti subintelligitur ly *hæc litera A est litera*; similiter dicendum cum oratio aliqua supponit materialiter, unde in hâc *Homo est animal est Propositio*, subauditur ly *hæc Propositio*, *homo est animal*, *est Propositio*.

9. Idem dicendum de *Verbis*, quæ Propo

sitionum extrema per se non sunt, sed ratio illa uniendi, pereuntque factâ Propositionis resolutione; unde in hâc de secundo adjacente, *Petrus ridet*, licet verbum terminus sit, qua gerit vices prædicati participii, non tamen ut habet vim copulæ, sensus enim est, *Petrus est ridens*; porro in hâc, *currere est movere*, licet extrema sint verba grammaticaliter, tamen sunt substantiva Logica, sensus enim est, *Cursus est Motus*.

---

§. 2.

Quotuplex Terminus in Communi?

10. *Terminus* in communi dividitur, ut Propositio; in *Mentalem*, qui intellectu apprehenditur; *Vocalem*, qui Linguâ profertur; & *Scriptum*, qui calamo exaratur.

11. *Mentalis* est, vel *objectivus*, estque ipsa res apprehensa, & coincidit cum vocali & Scripto, objectivè sumptis; vel *formalis*, qui est ipsa rei simplicis apprehensio; quæ etiam actui Judicii, quæ ad Propositionem terminatur, coexistit.

12. *Formalis* est, vel *non ultimatus*, estque apprehensio *vocis* vel *Scripturæ* significantium, quas *naturaliter* representat, licet ipsæ solum *ad placitum* res extra significent; vel ultimatus, estque apprehensio ipsius rei extra, quam *naturaliter* quoque significat; Porro

ro hic agitur præsertim *de Termino vocali*, qui *Mentali* substituitur, estque *Scripto* Usitatior.

13. Divisio Termini vocalis sumitur ex triplici capite; primò ex ratione ipsius *significationis* vocum; secundò ex *modo significandi* vocum; tertiò ex parte *rei* extra *significatæ* per voces.

---

§. 3.

Quotuplex Terminus ratione Significationis?

14. TErminus *vocalis, largè* sumptus, ex n. 6. est duplex, sc. *non significativus*, ut *Blictri*, qui se solum significat, non aliud à se distinctum: & *Significativus*, qui & se, & etiam aliud à se distinctum, repræsentat; ut *homo, lapis* &c. eaque ratione dicitur *Signum*.

15. *Signum* est duplex; *Formale, est quo, ut Medio, non necessario prius cognito, devenimus in notitiam alicujus; ut species Impressa*, seu Intentionalis; & *Expressa*, seu Conceptus formalis, Petri; cujus sunt Virtuales vel Formales Imagines, quia rationes cognoscendi ipsum, licet non necessario præcognitæ; *Instrumentale*, ex *Aug. 2. Doct. Christ. 1. est id quod præter sui Speciem, quam sensibus ingerit, facit nos in alterius cognitionem devenire*; id est, quod cognitum Ministerio sensuum, duci

ducit nos in cognitionem alterius, quo cum habet aliquam connectionem; eamque *vel ex Naturâ rei*, & dicitur *Signum Naturale*, ut omnis effectus respectu suæ causæ; ut fumus respectu ignis; *vel ex liberâ hominum voluntate*, & dicitur *Signum ad Placitum*, quale præsertim est vox articulata, quâ per volitionis nostræ terminationem, instituitur ad rem aliquam significandam, & conceptibus formalibus mentis substituitur, ut ly *Homo* ad significandam *Naturam humanam*.

16. Terminus *significativus* ratione *significationis* est, vel *Categorematicus*, qui *per se aliquid significat*; adeoque secundum se potest esse Terminus Propositionis Categoricæ, ut ly *Homo*; vel *Syncategorematicus*, qui est tantum *consignificativus*, nec *per se* esse potest Terminus Propositionis; adeoque non *significat* aliquid, sed *tantum aliqualiter*, seu per modum determinationis modificantis, ut ly *omnis*; vel *Mixtus*, qui & *aliquid & aliqualiter significat*, *ut Nemo*, qui significat nullum hominem; quo spectant Subjecta Propositionum *Indefinitarum*, *absolutè* vel *personaliter* supponentia, ut *Homo est animal*; id est *omnis Homo est animal*; *Homo est albus*, id est, *aliquis Homo est albus*; similiter adjectiva, *adjectivè tenta*, quia formam determinatam significant, licet Subjecto indeterminato adjacentem, ut ly *Doctus*; non vero *Adverbia* & aliæ Orationis Partes indeclinabiles; cùm *sine addito*, esse non possint Propositionum

positionum extrema, ac proinde sunt Termini simpliciter *Syncategorematici*.

17. Terminus *Categorematicus* est, vel *Incomplexus* seu simplex, & *logicè* est, qui *conceptui formali Simplici substituitur*, licet Partes ejus separatæ aliud significent; ut ly *Homo*, *Respublica*, *M. T. Cicero*; vel *Complexus* seu Compositus, qui *notitiam compositam exprimit*, etiam licet esset vox Simplex, ut si ly *Homo*, imponeretur ad significandum, *Petrum esse album*.

18. Terminus *Incomplexus* est, vel *Finitus*, qui *rem determinatam significat*, ut ly *Homo*; vel *Infinitus*, qui *significat negationem formæ determinatæ*, *indeterminatum efficiens Subjectum*, ut *non Homo*, qui omnibus rebus præterquam homini convenit confusè, & ex *Scot.* 2. *Periher.* 4. *n.* 9. supponit pro aliquo de quo potest dici Ens, reale vel intelligibile.

---

§. 4.

Quotuplex Terminus ratione Modi significandi?

19. *Modus significandi* Termini vocalis est Proprietas vocis, orta à determinatione voluntatis, sumptâ occasione à proprietate rei significatæ; diciturque *Modus significandi activus*, respectu rei significatæ; ut

&

& ipsa rei proprietas, *Modus significandi passivus*, ut *Scot. c. 2. Gram. n. 6.* antequam autem vox habeat à voluntate Modum significandi activè, supponitur *Modus essendi*, ac *Modus Intelligendi* ipsius Modi essendi seu proprietatis rei; eaque ratione ex *Scot. cit. c. 4. n. 1. & q. 16. Univer. n. 14. & q. 4. Prad. n. 4. & 1. Peri. q. 2. n. 2. & 4. Met. n. 40. & 1. d. 22. q. 2. n. 5. significare supponit Esse & Intelligere*; & ex *eod. c. 5. Gram. n. 6. & 1. Elench. q. 17. n. 3.* licet Modus significandi activus sit in voce ut supposito, est tamen in proprietate rei intellectæ, ut in Causâ efficiente occasionaliter; in voluntate autem realiter, & ut in Causâ efficiente Principali, & ad significandum instituente.

20. Itaque Terminus Vocalis ratione *Modi Significandi* dividitur, primo in *Concretum & Abstractum*; is significat aliquid, ut alteri adjacens; ut ly *album*, quod significat albedinem subjecto alicui inhærentem; hic, ut ab altero præcisum, ut *albedo*.

21. Quia verò Concretio est multiplex, etiam Abstractio erit, ut *Scot, 1. d. 5. q. 1. à n. 5.* primo enim *Concretum Substantiale* consignificat Suppositum habens, cui adjacet significatum formale; adeoque prima abstractio est, à Supposito ejusdem naturæ, ut à ly *Homo*, *Humanitas*; quæ quia consignificat Proprium Inferius, ideo ulterior Abstractio est à suis Inferioribus, sc. ab *hâc & illâ Humanitate*, *ratio Humanitatis*, quæ est ultimata Abstractio, quia Naturæ ab omni eo quod

quod non est ejus *Quod Quid* est. Secundò *Concreta accidentalia absoluta* consignificant subjectum inhæsionis seu suppositum alterius naturæ, à quo fit prima Abstractio, ut à ly *Album Albedo*, quæ adhuc consignificat proprium Inferius, à quo *Albedinositas*, seu ratio Albedinis, est abstractio ultimata. Tertio *Concreta accidentalia Relativa* consignificant Subjectum Inhæsionis, à quo fit prima Abstractio, ut à ly *Causa* seu *Pater*, *potentia causativa exercita*, seu *genuisse*; quæ adhuc concernit fundamentum proximum, seu rationem fundandi, à quâ abstrahit ly *Causalitas*, seu ly *Paternitas*, quæ adhuc consignificat suum Inferius, à quo ly *Ratio causalitatis*, seu *Ratio Paternitatis*, ultimatè abstrahit.

22. Dividitur secundo in *Absolutum*, cujus conceptus quidditativus est Quietativus & perfectus, ut ly *homo*, cujus conceptum quietativum solum ingreditur Genus & differentia; & *Connotativum*, qui ex modo significandi principalis significati, aliud secundario cointelligendum petit, ut conceptus quidditativus Intellectum quietet; unde Definitio ejus est semper *per additamentum*, ex *Scot. 4. d. 12. q. 1. n. 18. & Quodlibet. 12. F.* sic ly *Cœna*, præter comestionem, connotat *Tempus vespertinum*; & ly *Virtus* præter ordinem ad Prudentiam, consignificat Qualitatem habitualem, actuum frequentatione acquisitam.

23. Regula prima. *Abstracta Substantialia sunt Absoluta secundum rem & Modum significandi*

ficandi, ut ly *Humanitas*; *accidentalia, tantum secundum modum significandi*, nam secundum rem, significant aliquid alteri adjacens, ut ly *Albedo*.

24. Regula secunda. *Multa Absoluta non sunt Abstracta*; similiter *Multa Concreta non sunt Connotativa*; Concreta enim substantialia, ut *Homo*, *Leo*, &c. sunt absoluta, ex æquo enim important significatum formale & materiale, sc. Humanitatem & habens ipsam; cùm non faciunt unum per accidens, ut accidentalia; Verum si concreta Substantialia adjectivè exprimantur, erunt Connotativa, ratione Modi significandi adjacentis, ut ly *Corporeum*, *Lapideum*, &c.

25. Regula tertia. *Aliqua Connotativa non sunt Concreta*, ut *Creatio* & *Conservatio* secundum *Scot. Quodlib. cit.* & *operativum Vitalis* ex *Eod. Quodl. 13. Ll.* quæ secundum rem alia consignificant; ut *Creatio* præter Productionem rei, cognificat non esse præhabitum, *Conservativum*, esse præhabitum; *Operativum Vitalis*, præter qualitatem, potentiam objecto intentionaliter unientem, consignificat vel Principium vitale producens, vel principium vitaliter objectum attingens per cognitionem aliunde receptam.

26. Regula quarta. *Aliqua Connotativa non sunt Relativa*, nam ly *Album* tantum secundario significat habitudinem ad aliud, sc. ratione modi significandi primarii significatis; at ly *Pater* primario relationem importat.

27. Dividitur tertiò in *Denominantem*, qui

qui est forma Denominans, ut *Albedo*; & *Denominativum*, qui ab illo differt per evidentiam ad subjectum, seu per modum significandi adjectivum; & talis est omnis Terminus Concretus accidentalis, ut ly *Album*; & omnis Substantialis *adjectivè* expressus, ut ly *Corporeum*, *Lapideum*.

§. 5.

Quotuplex Terminus ex parte Rei significatæ?

28. TErminus vocalis *quoad rem significatam* dividitur, primo in *Communem*, qui significat rem multis simul & seorsim convenientem, ut ly *Homo* respectu Petri & Pauli; & *Singularem*, qui significat rem singularem, vel plura per modum unius; estque vel *Individuum determinatum*, Signatum seu Demonstrativum, ut Nomina propria, & Communia Pronomine demonstrativo determinata; ut *Petrus*, *Hic Homo*; vel *Vagum*, qui rem determinatam, vi Nominis communis & signi particularis, significat; ut ly *Aliquis Homo*; vel *ex hypothesi*, ut ly *Filius Virginis*, ex supposito quod solus Christus fuerit talis; vel Collectivum, ut ly *Populus*, *Civitas*, &c.

29. Terminus *Communis* est, vel *Transcendens*, & significat rem Enti finito & Infinito Communem, ut ly *Ens*, *Vivens*; vel *Limitatum*,

mitatus, & licet pluribus, non tamen omnibus Entibus, convenit; ut ly *Animal*, *Substantia*.

30. Iterum *Communis* est, vel *Univocus*, qui convenit pluribus, secundum idem Nomen, & Rationem, nomini correspondentem eandem; ut ly *Homo* respectu Petri & Pauli; vel *Equivocus*, qui convenit pluribus, secundum idem nomen, rationes vero nomini correspondentes, diversas; idque, vel *à Casu*, ut ly *Gallus*, respectu Hominis & Avis; vel, *à Consilio*, ut *Pes* respectu Hominis & Scamni; vel *Analogus*, qui pluribus convenit, vel *solum secundum nomen* idem, dicens habitudinem prioris & posterioris, quoad significationis impositionem, respectu significatorum habentium diversas prorsus rationes formales, estque *æquivocus à Consilio*; *vel etiam secundum eandem rationem*, sed vel inæqualiter participatam, ut ly *Animal* respectu Hominis & Bruti; *vel etiam* participatam *secundum prius & posterius*, ut ly *Continuum*, respectu Lineæ, Superficei & Corporis; *vel etiam participatam secundum diversum modum essendi*, ut ly Creatura respectu Substantiæ & Accidentis, quæ univocata habent modos essendi, secundùm *per se & in alio*, diversos.

31. Demum, *Terminus vocalis* penes res significatas dividitur in Terminum *primæ Intentionis*, & significat res ut sunt à parte rei, ut *Homo*; & Terminum *secundæ Intentionis*, qui significat res prout subsunt Attributo Intellectûs

tellectûs negotiantis, ut ly *Subjectum Prædicatum, Genus*, &c. Sub quibus *doctrinaliter* comprehenduntur res omnes, quæ *subjici* vel *prædicari* possunt, aut in varias *species* dividi; adeoque plurimum inserviunt *Methodo* Scientiarum tradendarum.

§ VI.

De Terminis Prædicabilibus.

32. TErminus *Univocus*, ut substat Secundæ Intentioni Prædicabilitatis, est *quintuplex*, sc. *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Proprium* & *Accidens*.

33. *Genus est*, *Quod prædicatur de pluribus specie differentibus*, *in Quid* & Substantivè; est triplex; *Generalissimum*, quo non est Superius Genus, ut *Ens finitum* respectu Substantiæ & Accidentis; *Subalternum*, quo est aliud sub, & supra, ut *Corpus* respectu viventis & non viventis; & *Proximum*, quo nullum est inferius, benè Superius, ut *Animal* respectu hominis qui à bruto specie imâ distinguitur.

34. *Species* est duplex, *Subjicibilis* & *Prædicabilis*; illa est quæ immediatè Generi subjicitur; estque triplex, *Suprema*, ut *Substantia* sub Ente finito, quod est supremum simpliciter Genus Prædicamentale; *Subalterna*, ut *Corpus* respectu Substantiæ; & *Ima* quæ est etiam Prædicabilis, & quâ subjicibilis, proximo generi immediatè subjicitur, ut *Homo*

respectu Animalis; qua *Prædicabilis* vero, *prædicatur de pluribus numero differentibus, in Quid*, & substantivè, ut *Homo* respectu Petri & Pauli.

35. Differentia *Metaphysicè*, seu primò Intentionaliter, est quâ res alioqui convenientes, inter se differunt; est triplex: *Communis*, ut *Accidens* de quo *n.* 37. *Propria*, ut *Passio* de quâ *n.* 36. & *Propriissima* quâ una res differt ab alia essentialiter; & ut species, est triplex, triplicis sc. Speciei constitutiva in se, & distinctiva ab omni aliâ; sc. *Suprema*, ut esse *intra se fixum*, quâ Substantia constituitur in se, & distinguitur essentialiter ab Accidente; *Subalterna*, ut *Corporeitas*, quâ constituitur Corpus in se, & distinguitur essentialiter à Spiritu; & *Ima*, ut *Rationalitas*, quâ Homo constituitur in suo esse, & quidditativè differt à Bruto; *Logicè* autem seu quâ substat secundæ Intentioni Prædicabilitatis, est *quod prædicatur de pluribus specie, vel numero differentibus, in Quale Quid*, & adjectivè; ejus proinde Subjicibilia sunt Inferiora ejus quod constituit, ut esse *intra se fixum*, respectu corporis & Spiritus; *viventi*, respectu animalis & Plantæ; *Rationale*, respectu Petri & Pauli.

36. *Proprium primo Intentionaliter*, est quadruplex; vel enim *accidit Soli, & non omni*; ut *esse Medicum*, respectu soliûs, non omnis hominis; vel *omni, non soli*; ut *esse bipedem*, respectu omnis, non solius hominis; *vel omni & soli, non semper*; ut *canescere* respectu omnis & solius

ſolius hominis, non tamen ſemper, ſed dum ſeneſcit; vel *omni ſoli & ſemper*, ut *eſſe Riſitivum*, reſpectu omnis & ſolius hominis, ac pro omni tempore; *Logicè* autem ſeu quà ſubſtat ſecundæ Intentioni Prædicabilitatis, definitur eſſe id, *quod prædicatur de pluribus ſpecie vel numero differentibus, in Quale accidentale, neceſſariò & intranſmutabiliter*; unde Subjicibilia ejus ſunt Inferiora illius, cujus eſt paſſio adæquata, ſive illud ſit genus ſive Species quæcunque, ſic *Riſitivum* reſpectu Petri & Pauli, eſt imum prædicabile Proprium.

37. *Accidens materialiter* eſt, *quod adeſt, & abeſt, præter Subjecti corruptionem*; ut *Albedo* reſpectu Hominis; *Logicè* autem eſt, quod *prædicatur de ſuis Subjectis Inhæſionis, ſpecie vel numero differentibus in Quale accidentale, contingenter, & tranſmutabiliter*; ut Album reſpectu Hominis & Corvi; per Negationem enim Accidentis, (licet realiter inſeperabilis) de ſuo ſubjecto, non tollitur aliquod ejus Prædicatum eſſentiale, vel realiter identificatum, ut patet in hâc Propoſitione; *Corvus non eſt Niger.*

§ VII.

De Terminis Prædicamentalibus.

38. PRædicamentum est coordinatio prædicatorum essentialium ad Subjectibilia; secundum rem unicum est, sc. *Ens finitum*, quod per *Perfectatem* seu *internam intra sesi fixionem*, & *Inalietatem* seu intra sese non fixionem, immediatè dividitur in *Substantiam* & Accidens, hoc in *Absolutum* & *Relativum*, Absolutum in *Quantitatem* & *Qualitatem*, Relativum in *intrinsecus* & *extrinsecus adveniens*, quod vulgo in *Actionem*, *Passionem*, *Quando*, *Ubi*, *Situm* & *Habitum* subdividitur; unde decem in certo ordine statuuntur, quorum quodvis habet triplicem coordinationem; scilicet *Mediam*, Generum, Specierum & Individuorum; & duas *collaterales*, sc. Differentiarum; quod patet ex hâc figurâ.

Ens finitum.

Intra se fixum.

In alio fixum. Accidens.

Absolutum. { *Quantitas*, *Qualitas.*

Relativum. { *Intrinsecus adveniens.* *Extrinsecus adveniens.*

Substantia.

Corporea

Incorporea. { *Cherubim.* *Spiritus* { *Seraphim*, &c.

Corpus.

Corruptibile.

Incorruptibile { *Cœlum.* *Planeta.* { *Saturnus.* *Jupiter*, &

Cor-

Corruptibile.

Viuens. *Non vivens* { *Elementare, Ignis, Aer, &c.* / *Mixtum, Lapis, Aurum, &c.*

Vivens.

Sensitivum. *Insensitivum, Planta,* { *Arbor.* / *Flos.*

Animal.

Rationale. *Irrationale, Brutum,* { *Volatile, Avis.* / *Gressile, Pipes.* / *Reptile, Serpens.* / *Aquatile, Piscis.*

Homo.

Hic. *Ille, Paulus.*

Petrus.

39. *Substantia* est *Ens finitum absolutum, per se subsistens, accidentibusque substans*; dividitur in *Primam*, quæ nec in subjecto est ut inhærens, nec de subjecto dicitur ut essentialiter Superius, ut *Petrus*; & *Secundam*, quæ in nullo est subjecto, ut inhærens; de subjecto tamen dicitur ut Superius, ut *Homo*, *Animal*, &c.

40. *Quantitas est accidens absolutum, quod adveniens Composito Substantiali, dat ipsi radicem Impenetrabilitatis, cum alio quanto, intra idem spacium*; secundem rem, omnis Quantitas Prædicamentalis, est *Continua Permanens*, habetque immediate tres species, sc. *Lineam*, quæ est longa tantum; *Superficiem*, quæ est longa & lata; & *Corpus*, quod est longum, latum & profundum.

41. *Communiter* tamen *Quantitas Prædicamentalis* definitur, *esse id quod facit substantiam Materialem extensam in ordine ad locum vel tempus*; Estque vel *Continua*, cujus par-

tes copulantur termino Communi; quæ ſubdivitur in *Permanentem*, cujus partes ſunt ſimul, ut *Linea*, cujus partes ſimul exiſtunt & copulantur punctis; *Superficies*, cujus partes copulantur lineis; & *Profundum*, cujus partes copulantur Superficiebus; & *Succeſſivam*, cujus partes non coexiſtunt, ut *Tempus* & *Motus*, cujus partes fluunt, & copulantur Inſtantibus, & mutatis eſſe; vel *Diſcreta*, cujus partes habent proprios terminos; & ſimiliter dividitur in *Permanentem*, cujus partes ſolutæ ſunt ſimul, ut *Binarius*; & *Succeſſivam*, cujus partes ſolutæ, habent eſſe in fluxu, ut *Oratio Vocalis*.

42. *Qualitas* eſt *Accidens abſolutum, exigens radicem Intenſibilitatis & Remiſſibilitatis gradualis, in eadem parte Subjecti*; communiter autem à ſuo effectu formali, definitur eſſe *ſecundum quam, Subjectum denominatur Quale*; & habet quatuor Modos combinatos Primus eſt *Habitus & Diſpoſitio*, qui ſunt qualitates acquiſitæ; is à Subjecto difficulter mobilis, hæc de facili. Secundus eſt, *Potentia & Impotentia* Naturalis, quæ ſunt qualitates innatæ, illa quidem ad opus habilitans, ut acuties potentiæ viſivæ ad videndum; hæc ab operatione impediens, ut Durities in lapide ad ſecari. Tertius eſt *Paſſio & Patibilis* qualitas, quæ ſunt qualitates ab extrinſeco potentiarum immutativæ; illa cito tranſiens, ut rubor ex verecundiâ, hæc in ſubjecto magis radicata, ut rubor ex conſtitutione Corporis in vultu permanens. Quartus

eſt,

est, *formæ & figuræ*, quæ licet habeant modum prædicandi absolutum, *formaliter* tamen præter quantitatem linealiter, & superficialiter terminatam, & certo modo qualificatam, solum important relationem partium quantarum, sic qualificatarum inter sese, ut patet in Statuis & Imaginibus.

43. *Relatio* est, *Accidens quo unum refertur ad aliud*; sic relatio v. g. Similitudinis; primò petit *Fundamentum* & *Terminum*, ut sunt duo Alba; secundò *rationem fundandi*, quæ est unitas specifica Albedinum, diciturque *Quo fundamentale*; & demum *Quo formale*, quod est ipsa relatio similitudinis, quâ unum Album dicitur simile alteri.

44. Relatio est, vel *Rationis*, & fingitur ab Intellectu; vel *Realis*, estque in re, independenter ab Intellectu; Iterum, vel est *Aptitudinalis*, & respicit Terminum ut aptum terminare, quomodo Potentia respicit suos actus possibiles, per aptitudinem quandam; vel *Actualis*, & respicit Terminum actu Terminantem; & si sit realis, vel realiter identificatur suo fundamento, ut dependentia qua Creatura existit dependenter ad Deum; vel realiter differt, estque duplex; *Intrinsecùs adveniens* est, quæ necessario ponitur positis extremis in quâcunque distantiâ, ut Similitudo, quomodo constituit *Quartum Predicamentum*, adeoque ex *Scot. Quodl.* 3. C. petit tria; Primo enim debet esse *realis*, triplici realitate, sc. ex-

istentiæ extremorum, realis Distinctionis eorum, & quoad sequelam, positis præcisè extremis. Secundo debet esse *Actualis*, realiter à Subjecto distincta. Tertio debet esse *intrinsecus adveniens*. *Extrinsecus adveniens* est, quæ præter positionem extremorum, requirit eorum approximationem, ut, *Actio*, *Passio*, &c.

45. *Relativa* sunt, *quorum esse, est ad aliud se habere*; sunt, vel *secundùm Dici*, & primario important absolutum, connotando relationem; sic Scientia est qualitas dicens respectum ad Scibile; vel *secundùm Esse*, quæ primò significant relationem, connotant autem Absolutum; sumque vel *non Mutua*, dum *respectus* non est reciprocus, ut Creaturæ ad Creatorem, qui non mutuò relativè refertur ad Creaturam; vel *Mutua*, si sit Dependentia reciproca; & vel sunt *Æquiparantiæ*, si ratio fundandi sit utrinque eadem, ut *similia*; vel *Disquiparantiæ*, si sit diversa; & tunc vel sunt *Superpositionis*, ut Patris ad filium, & generaliter Causæ ad effectum; vel *Suppositionis*, ut filii ad Patrem, & generaliter effectûs ad Causam.

46. *Actio* est, *Secundum quam, in id quod Subjicitur agere dicimur*; id est, est Relatio extrinsecus adveniens, quo Agens denominatur formaliter transmutans Passum; unde non terminatur ad formam, quâ transmutat, sed ad Subjectum ejus quod transmutatur per formæ receptionem; dividiturque in *Immanentem*, cujus transmutatum est ipsum Agens,

ut

ut dictio Intellectualis, quâ Intellectus transmutat se ad Intellectionem; & *Transeuntem*, cujus passum est extra agens, ut calefactio quâ Ignis transmutat aquam ad esse Calidum.

47. *Passio* est *effectus, illatioque Actionis*; id est, est respectus Passi ad Agens transmutans, quo dicitur formaliter Passum; & dividitur in *Immanentem*, cujus Passum est ipsum Agens, ut dictio passiva Intellectûs, à se recipientis intellectionem; & *Transeuntem*, cujus Passum est aliud ab Agente, ut Calefactio passiva Aquæ ad Ignem.

48. *Quando, concretim, significat esse in tempore; abstractim* autem *importat denominationem extrinsecam* ortam in re temporariâ, per coexistentiam ejus ad motum primi Mobilis, ut activè mensurantis ejus Durationem determinatam; adeoque est *semper activum*, quia semper tenet se ex parte motûs mensurantis rem durantem.

49. *Ubi*, seu Ubicatio, est *Relatio proveniens ex coexistentia Locati intra superficiem Corporis locantis*; dividitur in *Activum*, quod est Relatio subjectata in Superficie corporis ambientis, ad rem ambitam; & *Passivum*, quod est habitudo Locati ad superficiem Corporis locantis; utrumque est, vel Simplex *seu Definitivum*, ut Ubicatio Spiritus; vel Compositum seu *Commensurativum*, ut Ubicatio Corporum, quæ non sunt tota in toto loco, sic quod etiam quævis pars sit in toto, ut Spiritus; sed sic quod cuivis parti corporis locati,

locati, correſpondeat pars Superficiei locantis determinata.

50. *Situs*, ſeu Poſitio Situalis, eſt *habitudo partium locati, ad partes determinatas Superficiei continentis*, adeoque coincidit cum Ubicatione circumſcriptivâ, differt autem à Poſitione quantitativa, quæ importat poſitionem partium inter ſe, & ſine ordine ad Locum; Porro dividitur, in *Penetrabilem* naturaliter, & in actu ſecundo; eſtque rerum materialium ſine quantitate; & *Impenetrabilem* naturaliter in actu ſecundo, eſtque rerum quantarum, quæ naturaliter non ſeſe compatiuntur, intra idem ſpatium ambiens.

51. *Habitus* eſt *habitudo inter rem habitam, & habentem*, quò ſpectant omnes uniones formarum abſolutarum ad ſua ſubjecta; dividitur in *Activum*, qualis eſt parietis ad Albedinem inhærentem; & *Paſſivum*, qui in formâ inhærente, ſeu habitâ ſubjectatur.

---

§. 8.

Regulæ Prædicamentales.

52. REgula prima. *Quicquid prædicatur eſſentialiter de aliquo Superiori*, ut Subjecto non ſimpliciter ſupponente, etiam *de illius Inferiori ſimpliciter prædicatur*; unde valet, *Animal eſt vivens*, ergo *Homo eſt vivens*; non vero, *Animal eſt Genus*, ergo *Homo eſt genus*; valet etiam quandoque in præ-

prædicatis accidentalibus, ut *album est coloratum*, ergo *Lac est coloratum.*

53. Regula secunda. *Diversorum Generum* non prædicamentaliter subalternatorum, sive contineantur sub tertio Genere, *ut Animal & Planta*; sive non, ut *Animal* & *color*; *diversæ sunt Differentiæ divisivæ* secundum rem; non enim habent differentias divisivas importantes eandem rationem formalem utrinque, licet quandoque coincidant, quoad Nomen, ut *Rationale* respectu Animalis & Scientiæ. *At sub tertio Genere contentorum, eadem potest esse differentia* utriusque remotè constitutiva, ut, *Corporeum* respectu Animalis & Plantæ; quæ tamen cum habeant differentias immediatè constitutivas proprias, sunt essentialiter distincta. *Subalternatorum autem* prædicamentaliter *eadem potest esse Differentia*, unius sc. *Divisiva*, alterius vero *constitutiva*, adeoque etiam & *distinctiva*, sic *Sensitivum* dividit vivens, constituit autem & distinguit Animal.

---

§. 9.

De Terminis Postprædicamentalibus.

54. TErmini *postprædicamentales* sunt, qui ad Intelligentiam prædicamentalium sub habitudine aliquâ inter se collatorum, conferunt; & primo sunt vel *Impertinentes*, qui nullam inter se connexionem aut repug-

pugnantiam habent, ut ly Doctus & dives; vel *Pertinentes*, qui aliquo modo sese inferunt vel excludunt.

55. Termini *Pertinentes* sunt, *repugnantes* vel *non repugnantes*; *Repugnantes* sunt, qui *eidem secundum idem non possunt competere*; suntque vel *Disparati*, qui *aque cum tertio ac inter se repugnant*, ut Leo & Equus respectu Asini; vel *Oppositi*, qui *non ita cum tertio, ac inter se pugnant*; & sunt, vel *Relativi*, qui per oppositas relationes sese respiciunt, ut Pater & filius; quamvis enim filiatio verbi æque Spirationi repugnet ac Paternitati, quoad consistentiam; non tamen quoad oppositionem relativam: vel sunt *Contrarii*, qui significant formas absolutas, sui invicem ab eodem subjecto exclusivas, ut *Calor* & *Frigus*; vel *Contradictorii*, qui significant formam ejusque negationem, neganter sumptam; ut *Homo* & *non Homo*; vel *Privativi*, qui significant formam, ejusque carentiam in Subjecto inclinato, ut, *videns* & *Cæcus* respectu Hominis. Et pro his est Regula, quod, *Posito uno Repugnantium in Subjecto, alterum removetur ab eodem.*

56. Termini non *Repugnantes* sunt, qui *eidem possunt competere*; suntque vel *convertibiles*, qui se mutuo inferunt & tollunt, ut *Homo*, *Rationale*, *Risitivum*; Item Termini *Synonimi*, ut *Gladius*, *Ensis*; Et hi convertuntur secundùm essendi & non essendi Consequentiam; vel *sunt magis & minus communes*, quorum sc. unus prædicatur de pluribus subjectis,

jectis, quam alter, ut ly *Animal* & *Homo*. Et pro his est Regula, quod; *Posito Terminо minus communi, ponitur magis communis; non semper è contra*; si enim *est Homo*, *est Animal*; non è contra.

57. Secundò sunt Termini *Prioritatis*, vel enim Terminus significat aliquid *prius* alio *dignitate Physicâ*, ut *Homo* respectu aliorum Animalium; vel *Dignitate Morali*, ut *Rex* respectu subditorum; vel quoad *Ordinem* arbitrarium in loco vel numero, ut *lapides* in cumulo; vel, quoad ordinem *Universi*, ut *Ignis* respectu Elementorum; vel quoad *Tempus*, ut *Adam* respectu *Noe*; vel significat aliquid *prius Naturâ*, idque vel prioritate *Convertibilitatis*, quia non convertitur subsistendi consequentiâ, ut *Scot.* 1. *d.* 7. *n.* 24. & 3. *d.* 2. *q.* 2. *n.* 14. quomodo *esse Animal*, est prius quam *esse Hominem*, si enim est Homo, est Animal; non è contra; vel prioritate *præsuppositionis* seu *independentiæ*; estque *duplex*, vel enim *unum præintelligitur existens alteri*, & est Prioritas causalitatis, ut *Scot.* 1. & 3. cit: Ejusque vel *Physicæ*, quomodo Causa efficiens in actu secundo est priòr suo effectu; vel *Metaphysicæ*, quomodo Definitio est prior definito, & Quidditas Passione; vel *Virtualis*, quomodo Divina Immutabilitas est prior Immensitate, licet neutro modo causet ipsam; vel, *unum non convenit alteri, nisi alio Tertio præsuppositо*, ut *Scot.* 2. *d.* 1. *q.* 2 *n.* 3. & 3. *d.* 3. *q.* 1. *n.* 15. idque vel *ordine Naturæ positivo*, quomodo *Rationale*

male prius convenit Homini, quàm *Risitivum*, vel *Singularitas*; vel ordine tantum *Privativo*; ut *Scot. 2. & 3. cit.* quomodo *Privatio* prius intelligitur afficere *Materiam*, habentem formam sibi coævam, quam ipsa *forma*; quia Materia de se non est informata; vel demum unum est *prius alio Origine*, sine Causalitate vel dependentiâ; quomodo Personæ *Producentes* sunt priores *productis*, in Divinis.

58. Tertiò sunt *Termini Simultatis*, per oppositionem ad Terminos Prioritatis, quomodo aliqua dicuntur paris dignitatis, & simul quoad Locum, Tempus, &c. Specialiter vero aliqua dicuntur habere simultatem *in fieri* vel *esse*, si simul incipiant vel conserventur; vel simultatem *Naturæ*, si termini significent res ad quas valet subsistendi consequentia, nec una causet aliam, neque sese inferunt ratione Tertii; ut duæ Passiones ejusdem rei; sed præcisè ex suis rationibus formalibus, ut Relativa; vel simultatem *in dividendo*, ut duæ differentiæ respectu prædicamentaliter Superioris, quod simul dividunt, licet non semper ex æquo quoad modum essendi, ordinem vel æqualitatem perfectionis, nisi condividant Speciem Specialissimam ex *n.* 30.

§. 10. *De*

§. 10.

De Terminorum Suppositione.

59. HActenus de ipsis Terminis, jam de eorum Affectionibus; & primo De *Suppositione*, quæ est *Acceptio Termini pro suo significato, vel Significatis*; adeoque est limitatio significationis, orta à prædicato vel copulâ in propositione; ac *strictè* solùm Categorematicis convenit, cum soli regant verbum seu reddant Suppositum ipsi; *Largè* autem etiam adjectivis adjectivè tentis convenit; supponunt enim pro significato Materiali.

60. Suppositio est duplex, *Materialis* & formalis; Illa est *acceptio Termini pro se tantum*, seu pro conceptu suo non ultimato, ut *Homo est Nomen dissyllabon*, &c. & pro hac suppositione inservient sequentes regulæ. Reg. prima. *si prædicatum convenit voci, non autem ejus Significato ultimato, Suppositio est Materialis*; unde in hâc *vox est sonus*, suppositio non est Materialis; secus in hâc *Homo est Sonus*. Reg. secunda. *à Suppositione Materiali ad formalem, vel è contra non tenet consequentia*; ut *Homo est communis generis, ergo Petrus est communis generis*; *Animal est trissyllabon, ergo Homo est trissyllabon*. Reg. tertia. *Sub Termino materialiter supponente, non fit Ascensus vel Descensus*; mutaretur enim Suppositio, esset que *fallacia Figuræ Dictionis*; unde

unde ex hâc, *Homo est vox Dyssyllaba*, non sequitur, *ergo* etiam *Animal*, vel *Franciscus est vox dissyllaba*.

61. Suppositio *Formalis* est *Acceptio Termini pro suo Significato Ultimato*; estque vel *Impropria*, seu Metaphorica, quæ est pro re quam impropriè significat, ut *Petrus est Nero*, vel *Vulpes*, id est similis crudelitatis, vel fraudulentiæ; vel *Propria*, quæ est pro re quam propriè significat; & est duplex, *Discreta* sc. & *communis*. Illa est *Termini pro re individua solum*, ut *Philosophus hoc docet*, id est *Aristoteles*; quomodo supponunt omnes Termini Singulares determinati; *Communis* est Termini communis pro suo significato vel significatis Ultimatis, & dividitur in *Simplicem*, *Personalem* & *Absolutam*.

62. *Suppositio simplex* est *acceptio Termini, pro suo, præcisè immediate significato*, quod sc. statim Menti repræsentatur, præconceptâ voce, ut *Homo est Species*; ubi prædicatum convenit Naturæ communi præcisè, non Inferioribus *ejus, non enim Petrus est Species*; unde sit. Reg. prima. *Nullus Terminus communis Signo Quantitatis affectus supponit simpliciter*, patet in hâc, *omnis Homo est Species*, quia sub tali fit descensus *ex n.* 63. Reg. secunda. *Terminus communis cui tribuitur proprietas Dialectica, primo ejus significato conveniens, supponit simpliciter*; ut *Homo est Species*, quia prædicatum restringit vocem ad ejus præcisam significationem. Reg. tertia. *Sub Termino simpliciter supponente non fit descensus*; unde

unde non valet *Homo est Species, vel primariò significat naturam humanam animæ, communem pluribus disjunctim*; ergo *Petrus est Species*, vel *significat naturam taliter communem.*

63. *Suppositio Personalis* est *acceptio Termini communis, pro suis significatis*, vel denominatis *secundariis* seu Mediatis. Unde Regula, *Quando Terminus communis afficitur signo quantitatis, vel indefinitè, seu sine tali Signo, subjicitur prædicato Denominativo, est Suppositio Personalis*; ut omnis *Homo est Animal*, *Homo est Albus*; Est quadruplex sc. Universalis seu *Distributiva*, *Collectiva*, *Determinata* & *Confusa*; sicut etiam *Descensus* logicus, sub termino personaliter supponente, est quadruplex, sc. *Copulativus* vel *Disjunctivus*, ut quando Conjunctio copulativa, *Et*, aut Disjunctiva *vel*, conjungit plures propositiones integras; *Copulatus* autem vel *Disjunctus*, quando conjungunt partes utriusque vel alterius extremi complexi, ejusdem Propositionis.

64. Personalis *Distributiva* ex *Scot.* 14. *Elench. n.* 3, est acceptio Termini communis pro quovis ejus Inferiori *copulativè*; Signum ejus est, ex parte Subjecti, si Terminus communis afficiatur signo Universali affirmativo, & prædicatum sit denominativum, tunc enim Subjectum distribuitur, ut *omnis Homo est Albus*, ergo *Petrus est albus, & Paulus est albus, &c.* ex parte autem prædicati, si ipsi præfigatur signum universale,

ut *Deus est Omnipotens*, ergo *Deus est potens creare hominem, & est potens creare lapidem*; vel si Copulæ præfigatur negatio, ut *Petrus non est coloratus*, ergo *Petrus non est albus, neque Petrus est niger*; erit autem distributio utrinque, si subjecto præfigatur Signum Universale negativum, ut *Nullus Homo est albus*; vel Signum Universale affirmativum, & prædicatum per se distribuitur, ut *omnis Homo est omne animal*, *omnis homo non est albus*, quæ æquivalet negativæ Universali ex c. 2. *n.* 60. *vers. post Contrar.*

65. Suppositio *Distributiva* est, vel *completa*, seu simpliciter universalis, estque *pro singulis Generum*, id est pro omnibus Individuis subcontentis *copulativè*; ut *omnis Homo est quantus*, ergo *Petrus est quantus, & Paulus est quantus, & sic de cæteris*; vel *Incompleta*, seu Accommoda, estque *pro generibus singulorum*, id est, pro omnibus Speciebus Individuorum aliquorum seu disjunctivè sumptorum; ut *omne Animal fuit in arcâ Noe*, id est *omnis Speciei*, distributivè sumptæ; *aliquod Individuum*, sc. vel hoc hujus speciei, vel illud illius, &c.

66. Personalis *Collectiva* est *acceptio Termini Communis pro omnibus ejus Inferioribus & denominatis, copulativè* & simul sumptis; adeoque Signum Universale ex *Soto v. d. 2. q. 2. a. 2.* debet esse pluralis numeri; ut, *omnia Elementa sunt quatuor*, id est *Ignis, Aer, Aqua & Terra sunt quatuor*; Signum ejus est, primo si prædicatum significet numerum Tardinglem

dinalem, ut *duo, tres*, &c. non verò, si tantum Ordinalem, ut *primus, secundus*, &c. vel secundò, si unum Extremum sit conjunctum copulatum; alterum, numerum non significans, supponet copulatim; ut *Elementa sunt Ignis, Aer, Aqua, & Terra*, ergo *hoc Elementum, & illud* &c. *sunt Ignis, Aer*, &c.

67. Personalis *Determinata* est *acceptio Termini Communis pro aliquo Inferiori determinatè significato sub disjunctione disjunctivè sumptâ*, ut *aliquis Homo est albus*, ergo *vel hic homo est albus, vel ille homo est albus*, &c. *Confusa* verò, est *acceptio Termini communis pro aliquo Inferiori, indeterminatè & solum disjunctim significato*; ut *aliquis oculus est necessarius ad videndum*, ergo *vel hic, vel ille oculus*, &c. dixi solum *disjunctim*, ad Propositionem enim disjunctivam veram, altera debet esse determinatè vera ex c. 2. *n.* 41. quod non contingit, ubi Terminus Supponit confusè.

68. Utriùsque Signum est, Si Termino communi prætigatur Signum particulare, ut *aliquis Homo currit, aliquis calamus est necessarius ad scribendum*; vel Terminus indefinitè, sumptus subjiciatur prædicato denominativo, ut *homo est albus, calamus est ad scribendum necessarius*; differunt verò, quod in Suppositione *determinatâ*, suppositâ sui veritate, sit unum determinatum singulare cui prædicatum convenit, licet ratione descensus disjunctivi non explicetur determinatè, unde videns omnia Individua, pro quibus Ter-

minus ſupponit perſonaliter, poteſt unum demonſtrare, cui prædicatum in ſuppoſitione determinata convenit; *Confuſa* autem non ſic, ſolum enim ſignificat connectionem prædicati cum Subjectis disjunctis, tantum ſub conditione, adeo ut ſi non eſſet connexio ejus, cum uno disjunctorum, adhuc actio poſſet ab alio prodire, ſeu prædicatum alteri convenire.

69. Regula prima. *Terminus explicabilis per deſcenſum copulativum, poteſt etiam explicari per Copulatum; non verò è contra;* ratio eſt quia veritas Copulativi attenditur ex veritate ſingularum partium enumeratarum præcisè, quæ enumeratio reperitur in Copulato, unde ex hâc *omnis homo eſt albus*, ſequitur hæc, ergo *Petrus eſt albus & Paulus eſt albus, &c.* ſimiliter hæc, ergo *& Petrus & Paulus, &c. ſunt albi;* veritas verò Copulati attenditur ex collectione omnium ſimul reſpectu prædicati; unde ex hâc, *Elementa ſunt quatuor*, non ſequitur, ergo *Ignis eſt quatuer & Aer eſt quatuor*, &c. ſed tantum, ergo *Ignis, Aer, Aqua, & terra ſunt quatuor.*

70. Regula ſecunda, *Terminus explicabilis per Diſcenſum disjunctivum, poteſt etiam explicari per disjunctum; non verò è contra;* ratio eſt, quia in Disjunctivo veritas attenditur ex alteriâ parte determinatâ, licet ſub diſjunctione explicatâ; ea autem pars reperitur in disjunctâ; unde ex hâc *aliquis homo eſt albus*, ſequitur hæc, *ergo vel hic eſt albus, vel ille eſt albus, &c* ſimiliter hæc, *ergo hic*

vel

vel ille, &c. est albus; at in disjunctâ veritas attenditur ex omnibus simul Confusis, quæ confusio in disjunctiva non reperitur, unde ex hâc, *aliquis oculus est necessarius ad videndum*, non sequitur, *ergo vel hic est necessarius ad videndum, vel ille est necessarius ad videndum*, esset enim *fallacia figuræ dictionis*, quia processus à necessario confusè solum, ad determinatè necessarium.

71. Suppositio *Absoluta* est *acceptio Termini Communis, & pro significato immediato, & pro Mediato.* Signum ejus est, si prædicatum in Propositione utrique significato conveniat, ut contingit in Propositione universali, ac etiam indefinitâ affirmativè, in Materiâ necessariâ; negativè in Materiâ Impossibili; ut *omnis Homo est Animal*, nullus Homo *est lapis*; *Animal est vivens*, *Animal non est Planta*; fitque similis discensus, qui sub Termino supponente personaliter distributivè, tam negativè, quam affirmativè.

---

§. 11.

Affectiones Terminorum vi Copulæ Verbalis.

72. TRes sunt Terminorum passiones, ad *Differentiam temporis* per Copulam verbalem principalem importati, relatorum;

rum; sc. *status*, *Ampliatio* & *Distractio*.

73. *Status* est *acceptio vocis pro suis significatis, eo tempore existentibus, quod per copulam principalem importatur*; Signum ejus est si prædicatum petat subjecti consistentiam, quale est omne Accidens positivum; unde in hâc *Sedens scribit*, ly *Sedens* habet Statum, quia limitatur ad tempus præsens, per ly *Scribit* importatum.

74. *Ampliatio* est *acceptio Termini pro significatis existentibus, pro tempore per Copulam adsignificato, ac etiam pro alio, vel pluribus temporibus*; est quadruplex; *prima* est quando Copula vel prædicatum est præteriti temporis, tunc enim subjectum ampliatur ad præsens & præteritum, ut *Cicero fuit Consul* id est *Cicero qui est vel fuit, fuit Consul*; *Cicero est penultimus Consul*, id est *Cicero qui est vel fuit est penultimus Consul*; Item vox obliqua, quæ regitur à ly *Posterius*, ut *fructus est posterior flore*, id est *flore qui est vel fuit*; Item terminus significans rem, quæ dicitur *desinere*, ut *motus lapidis desinit*, id est *motus qui est vel fuit, desinit.*

75. *Secunda* est, quando Copula principalis vel prædicatum est futuri temporis, tunc enim Subjectum ampliatur ad præsens & futurum, ut *Petrus morietur*, id est *Petrus qui est vel erit*; *Nepos meus est Scripturus tibi*, id est *nepos meus qui est vel erit, est scripturus tibi*; Item vox obliqua quæ regitur à ly *prius*, ut flos est prior fructu; id est *fructu qui est vel erit*; Item terminus significans

nificans rem, quæ dicitur *incipere*, ut *Motus inchoatur*; id est *Motus qui est vel erit*, *inchoatur.*

76. *Tertia* est, quando Copula est præteriti temporis, prædicatum autem futuri vel è contra; tunc enim Subjectum ampliatur ad præsens, Præteritum & futurum; ut *Petrus fuit peccaturus*, id est *Petrus qui est*, *fuit vel erit*; similiter dicendum de hac *Petrus erit dudum mortuus.*

77. *Quarta* est, quando extrema sunt Propositionum necessariarum, vel dicti Modalium; tunc enim copula ampliatur ad præsens, præteritum, futurum & Possibile: ut, *Homo est Animal*, id est *Homo qui est, fuit, erit, vel possibilis est, est Animal quod est, fuit, &c.* similiter in hac, *Hominem esse album est possibile*; in his enim copula non importat extremorum *existentiam*, sed tantum necessariam eorum *connexionem*, adeoque dicitur *absolvi à tempore*; non quidem, quoad *significandi Modum*; sed quoad *significationis statum* & determinationem; simili modo in materiâ Impossibili, ampliatur subjectum Propositionis de prædicato *Infinito*; ut *Lignum est non Lapis*, licet supponat pro reali vel Imaginabili ex *n.* 18. ac subjectum negativæ; quod pro omnino nullo supponit; prædicatum enim subjecto repugnans, pro omni tempore reali & possibili, ab eo removetur.

78. *Distractio* est *acceptio vocis pro aliâ temporis differentiâ*, *quam per Copulam signi-*

ficatur; Signum ejus est, si aliquod extremum connotet differentiam temporis aliam ab indicatâ per Copulam: tunc enim tempus Copulæ distrahitur, & per consequens alterum extremum sumitur pro tempore quod extremum distrahens connotat; ut *cæcus est videns*, id est *qui fuit cæcus est videns*, *Antichristus est reprobus*, id est, *homo qui erit Antichristus est reprobus.*

---

§. 12.

Affectiones Terminorum vi Denominativi determinantis.

79. Quatuor sunt Terminorum affectiones desumptæ ex Terminis *denominativis*, appositis per Modum extremi, vel determinationis alterum extremum modificantis, *sc. Alienatio*, *Diminutio*, *Restrictio* & *Appellatio.*

80. *Alienatio* est affinis Distractioni, adeoque sicut Syncategorema verbale per alterum extremorum distrahitur ad consignificandam alienam temporis differentiam, ab indicatâ per ipsum: sic per *determinationem denominativam additam extremo*, *ipsum alienatur ad significandum aliud ab eo quod proprie significat*, cujus ratio est, quod Terminus determinabilis & determinans sint termini

mini repugnantes, ut *Homo pictus, marmoreus, mortuus*, &c. Regula prima. *A termino alienato ad alienantem, tenet consequentia*; ut *est Homo pictus*, ergo *est quid pictum*. Regula 2. *A Termino alienato ad negationem alienati, tenet Consequentia*; ut *est Homo mortuus*, ergo *est non Homo*, seu *non est Homo* Reg. 3. *ab alienato ad non alienatum, non tenet consequentia, non enim valet*, est homo pictus ergo est homo.

81. *Diminutio* est *modificatio Termini repugnantis vel disconvenientis alicui extremo, per appositionem determinationis minuentis vim repugnantiæ vel disconvenientiæ*, vt *Scot. 3. d. 11. q. 2. n. 3.* adeoque facientis ipsum sub eâ modificatione alteri extremo competere; ut *Petrus est doctus dolis*; *Æthiops est albus dentes*, id est, *non simpliciter*, sed secundum quid *doctus & albus*. Unde Reg. 1. *à Termino diminuto, ad modum diminuentem, tenet consequentia*. Unde sequitur, *ergo Petrus est dolosus*; *ergo Æthiops habet dentes*. Regula 2. *à Termino diminuto ad non diminutum non tenet consequentia*, non enim sequitur, *ergo Petrus est doctus, ergo Æthiops est albus*.

82. *Restrictio* est *Limitatio Termini ad pauciores differentias temporis vel Suppositi significanda, quam ex se habet, ratione alicujus determinationis annexæ*; fit quinque modis; primo, addendo adjectivum Substantivo, ut *Homines pii salvabuntur*. Secundo per appositionem alterius Substantivi in recto, ut *Urbs*

Roma

Roma est condita à Romulo. Tertio, apponendo Substantivum in obliquo, ut *Organum Aristotelis est græcè scriptum*. Quarto addendo Adverbium, ut *Scotus subtiliter scripsit*. Quinto interponendo orationem, ut *Puer* (si vivat) *senescet*. Porro determinatio restringens solum restringit terminum quem immediate afficit, qui inde dicitur restrictus. Regula: *à stricto ad Amplum tenet consequentia*; ut homo albus currit, ergo homo currit.

83. *Appellatio* est *quando Terminus additus seu appellans, secundùm suum significatum formale, denominat alium Terminum* est, Triplex; *Materialis* est quando Terminus appellans denominat significatum Materiale Termini appellati, eo quod appellans ponatur solus ex parte prædicati, ut *album est dulce*, id est, *habens albedinem est affectum dulcedine*, estque simpliciter prædicatio formalis. *Formalis* est cum Appellans afficit formale significatum appellati, ut *Homo est species*, id est *Natura communis in homine fundat Specietatem*; *Petrus est bonus Logicus*, id est *secundùm Logicam competit ei bonitas*. Indifferens est si Appellans indifferenter possit denominare alterutrum appellati significatum; ut quando prædicatum est essentiale, ut *Homo est Animal*, id est *habens humanitatem est Animal*, ubi Appellatio est Materialis, item *ratio formalis hominis constituit animalitatem*, ubi Appellatio est formalis.

§ 13.

§. 13.

De Terminis Exponibilibus.

84. *TErminus Exponibilis* est, *qui reddit sensum Propositionis obscurum*; adeoque eget Expositione; hujusmodi Termini reducuntur ad numerum octonarium.

85. Primò. *Exclusivi* sunt; ly *Tantum*, *Solum*, *&c.* non adjectivè seu Mixtim accepti, sic enim ex *Scot. 1. d. 21. n. 2. ex 1. Elench. 4.* significant negationem associationis alterius, ejusdem ordinis cum excluso; ut *Solus Doctor est in Scholâ*; id est, *est Solitarius*, quia *non est alius Doctor*, licet plures Discipuli sint ibidem; sed *syncategorematicè* seu consignativè & aliqualiter, & significant negationem associationis alterius ab isto in recipiendo prædicationem, vel in prædicando; & contingit dupliciter.

86. Vel enim determinant *Subjectum*, ut *tantum Aristoteles est Philosophus*; & faciunt Propositiones de *Subjecto excluso*, quæ exponuntur abjiciendo particulam exclusivam, & negando convenientiam illius prædicati, cum aliis Subjectis ejus Speciei; ut *Aristoteles est Philosophus, & nullus alius Homo est Philosophus*; uti etiam sequitur ex *Scot. cit.* transpositis exclusivæ Terminis, *omnis Philosophus est Aristoteles*; tum propter adæquatam extremorum commensurationem; tum quia ex hâc, *tantum Aristoteles est Philosophus*, sequitur,

tur, *ergo nullus non Aristoteles est Philosophus*, quia proceditur ab exclusivâ ad partem exponentis, inde autem per simplicem conversionem sequitur *nullus Philosophus est non Aristoteles*; & ultra bene sequitur, *ergo nullus Philosophus non est Aristoteles*, quia ex 2. *Perihet.* à negativa de prædicato Infinito, tenet ad affirmativam de prædicato finito, ut *Scot. cit. n.* 3. ergo etiam sequitur universalis affirmativa prædicta, *omnis Philosophus est Aristoteles.*

87. Vel determinant *Prædicatum*, & faciunt Propositionem de prædicato excluso, idque vel respectu *numeri*, ut *Elementa sunt tantùm quatuor*, & exponitur abjiciendo signum, & addendo ly *non plura*; ut *Elementa sunt quatuor, & non plura*; vel respectu *rei*, ut *Scotus est tantum Philosophus*, & vel exponitur ratione *alietatis* per abjectionem signi, & per negationem prædicati substantialis generis talis, ut *Scotus est Philosophus, & non est Animal quod non est Philosophus*; vel ratione *alteritatis*, per rejectionem Signi, & negationem qualitatis illius generis, ut *Scotus est Philosophus & non est imbutus aliâ scientiâ, quam Philosophiâ.*

88. Secundò. *Exceptivi sunt*, ly *Præter*, *Nisi*, &c. & excipiunt Terminum, cui præfiguntur à principali prædicato; unde primò Terminus à quo excipitur, debet supponere distributivè, quia excipere est à toto partem detrahere; secundò Terminus exceptus debet contineri sub Termino à quo fit Exceptio,

tio, ut *Omne animal præter Hominem currit*; unde hæ non sunt Exceptivæ, *aliquod Animal præter hominem currit*; *omne animal præter aquam, currit.* Expositio fit, negando prædicatum de termino extepto, & affirmando ipsum copulativè de aliis omnibus contentis sub termino à quo est exceptio, ut ergo *Nullus Homo currit, & omnis Leo currit, & omnis Equus currit, &c.*

89. Tertiò. *Reduplicativi* sunt, ly *In Quantum, Quatenus, &c.* & Vel tenentur *reduplicativè*, & tunc vel 1°. denotant Terminum Reduplicativum esse *conditionem* convenientiæ Prædicati cum Subjecto; ut *Ignis quatenus approximatus calefacit*, & exponitur per Conditionalem: *Si Ignis est approximatus calefacit*; vel 2°. significat ipsum esse *Causam inhærentiæ* prædicati ad subjectum, quæ est propriissima reduplicatio ex *Scot. 1. d. 1. q. 2. n. 13.* quia sive Reduplicatum sumatur pro seipso toto primo, sive pro aliquo quod includitur in Intellectu ejus, illud pro quo accipitur est ratio formalis *talis* inhærentiæ; ut *Homo qua rationalis est risibilis*, & exponitur per causalem, *quia Homo est rationalis, Homo est risitivus*; vel 3°. significat prædicatum esse de *conceptu quidditativo* subjecti, ut *Homo, qua Homo, est Animal*; & exponitur per hoc, quod *Homo sine Animalitate quidditativè concipi non possit*; vel demum 4°. significat subjectum & prædicatum esse ab *intrinseco connexa*, ut *Homo qua risitivus est rationalis*; *Species qua subjicibilis est prædicabilis*;

vel

vel tenentur *specificativè*, quomodo indicat prædicatum, sub tali consideratione, subjecto non repugnare; ut *Petrus, quà Medicus, est Medicus.*

90. Regula. *Propositio de Termino Reduplicativo reduplicativè sumpto, subjecto supponente absolutè, infert Universalem*; ut *Homo, qua rationalis intelligit*; ergo *omne rationale intelligit.* Dixi *subjecto supponente absolutè*; in simplici enim non tenet, patet in hâc *Homo qua Homo significat Naturam communem pluribus*; non enim sequitur ergo *omnis Homo significat naturam communem*; neque etiam, quando Terminus tenetur *specificativè*, ut *Modus sciendi qua talis est Objectum adæquatum Logicæ*; quia reduplicatio tantum specificat limitationem in *esse scibili*, in suppositione absoluta, & collectim.

91. Quarto. *Inceptivi* significant res *incipere*, vel *per primum sui Esse*, & sensus est, *jam Res est, & immediatè ante non fuit*, quomodo incipiunt *Permanentia*; ut *Anima jam animat, immediatè ante non animabat*; vel per *ultimum sui non Esse*, & sensus est; *jam res non est, & immediatè post erit*; quomodo incipiunt *Successiva*, ut *Motus nunc non est, immediatè post erit. Desitivi* è contra, significant res *desinere*, vel per *primum sui non Esse*, & sensus est; *jam res non est, & immediatè ante fuit*; quomodo desinunt *successiva*, ut *Motus jam non est & immediatè ante fuit*; vel per *ultimum sui esse*, & sensus est, *jam res est, & immediatè post non erit*, quomodo desinunt *Permanentia*

manentia, ut *Anima nunc animat, immediatè post non animabit.*

92. Quintò. *Discrepativi* sunt, *Differt, est Aliud*, &c. ut *Petrus differt à Paulo*, & explicatur per consistentiam Extremorum, & Negationem identitatis eorum, quæ in Nomine differentiam significante includitur ut *Scot. 2. d. 3. q. 7. n. 17.* ut *Petrus est & Paulus est*, & *Petrus non est Paulus.* Aliorum autem trium Terminorum, sc. *Relativi, Comparativi* & *Superlativi*, naturam & vim exponere, spectat ad Grammaticam.

---

§. 14.

Termini Distinctivi Usitatiores.

93. PRimo. Distinguuntur aliqua, penes *Materialiter & formaliter*; seu *pro connotato, & pro per se significato*; ut in hâc, *Album est dulce*, propositio est vera *materialiter*, quia prædicatum non convenit subjecto ratione formæ, sed materiæ, in quâ forma est, unde sensus est, *habens albedinem est dulce*; & in hâc, *album disgregat visum*, Propositio est vera *formaliter*, quia prædicatum convenit subjecto, ratione formæ, sc. *Albedinis.*

94. Secundo. Distinguntur, *Per se*, & *Per Accidens*; seu *Essentialiter & Accidentaliter*; ut in hâc *Homo est rationalis*, Propositio est vera *Per se*, quia prædicatum convenit

venit ſubjecto ex intrinſecâ ejus naturâ; in hâc autem *Homo eſt albus*, propoſitio eſt tantum *Per accidens* vera, quia prædicatum ſubjecto omnino caſualiter advenit & ab extrinſeco.

94. Tertiò. Diſtinguuntur, ſecundùm *Abſolutè* & *Reſpectivè*, ſeu *ſimpliciter* & *Comparativè*, ſic Homo dicitur *abſolutè* Doctus, quando prædicatum non dicitur *comparativè* ad aliud; *Comparativè* autem, quando refertur ad minus Doctum.

95. Quartò. Penes, *ut Quo*, & *ut Quod*. ſic Ignis eſt Quod calefacit; Calor autem eſt forma ſeu *Quo*; ſimiliter Petrus ſcribit ut *Quod*, quia Cauſa Principalis; Calamus ut *Quo*, quia Cauſa Inſtrumentalis; ſimiliter Alba ſunt ſimilia, ut *Quod*; Albedines ut *Quo* fundamentale, ſimilitudines ut *Quo* formale.

96. Quintò, Penes *Formàliter* & *Virtualiter*; ſic Ignis dicitur *Formaliter* calidus, quia verè habet formam Caloris, quâ taliter denominetur; Vinum autem ſolum *Virtualiter*, quia in ſe verè calorem non habet, quem tamen producere poteſt, in ſubjecto diſpoſito.

97. Sextò, Secundùm *Actum* & *Potentiam*, ſic Antichriſtus dicitur eſſe in *Potentiâ*, quia non actu exiſtens, potens tamen exiſtere; Ignis autem exiſtens extrà Cauſas, eſt *in Actu*; & quidem, quà habet virtutem operandi, dicitur *in actu* 1°. quà actu operatur, dicitur *in actu* 2°. qua autem habet virtutem

tutem activam non approximatam, dicitur *in actu* 1°. *remoto*; at quà debitè approximata, dicitur *in actu* 2°. *proximo*.

98. Septimò, Penes, *Positivè & Negativè*, quomodo habens formam Positivam albedinis, dicitur *positivè* Albam, non habens autem, & simul simpliciter carens formâ oppositâ, dicitur *negativè* album: si enim supra carentiam, habet capacitatem cum inclinatione, non habens ipsam, dicitur *privativè* tale, sic cæcus dicitur privativè videns.

99. Octavò, aliquid dicitur tale *in actu signato*, & *in actu exercito*; quomodo; cum dicitur definitio constat ex genere & differentiâ, definitio sumitur *in actu signato*, quia notatur Termini significatio; dum autem dicitur Homo definitur esse Animal rationale, definitio sumitur *in actu exercito*, quia actu definio; similiter ex *Scot. q.* 14. *Univer. n.* 4. hæc prædicatio est signata, *genus prædicatur de specie*; exercita hæc, *Homo est animal*; & hæc negatio est signata, *nego Hominem esse equum*; hæc exercita, *Homo non est Equus*; & per ly *tantum* exercetur Exclusio, quæ per ly *excludo* signatur.

100. Nonò, Res sumitur *in sensu composito*, vel *in sensu diviso*, sic paries Albus disgregat *in sensu composito*, quia prædicatum convenit subjecto ratione Albedinis adjunctæ, non præcisè; jacens verò stat, solum *in sensu diviso*, sc. sejuncto Situ jacentis competit eò ratione situs; similiter album potest esse nigrum sc. semota albedine, de quo plura c. 2. n. 33.

101. Decimò, Secundum *subjectivè & Objectivè*, sic forma dicitur *subjectivè* in Sub-

jecto, à quo sustentatur, & res dicitur objectivè in Potentiâ, quæ circa illud operatur, quomodo Homo dicitur esse *objectivè* in intellectu cognoscentis ipsum; Similiter propositio dicitur *objectivè* certa, quæ talis est à parte rei; *Subjectivè* autem certa, per firmam adhæsionem intellectus sine formidine de oppositio, licet Propositio in se sit falsa.

102. Undecimò; penes *Categorematicè* & *Syncategorematicè*; sic totum ex Scot. 3. d. 2. q. 2. n. 9. & d. 22. n. 4. & 4. d. 11. q. 1. n. 2. *Categorematicè*, est tertia entitas, *in recto*; connotans partes, ex quibus coalescit; *Syncategorematicè* autem, est ipsæ partes, in recto; connotans totum, in quo reperiuntur eæ partes.

CAPUT II.

De Propositione.

§. 1.

De Nomine.

1. EX terminis, fiunt Propositiones, de quibus, proinde hic agendum est; quia vero Propositio nulla sine *Nomine* & *Verbo* fieri potest, ideo *Ar.* 1. *Periher.* de ipsis primo agit.

2. *Nomen* ex 1. *Per.* 1. est *vox significativa ad placitum sine tempore, cujus nulla pars separata*

vata significat, finita & recta; id est, est pro formali quædam intentio secunda, per intellectum nostrum attributa termino vocali, qui est *significativus*; unde excludas terminos non significativos; estque significativus ad *placitum*, & non naturaliter.

3. Significat autem *sine tempore*: licet enim nomen aliquod significet *tempus*, ut hora; vel *differentiam temporis*, ut futuritio; vel *connotet tempus*, ut Cæna; nullum tamen significat *cum tempore*, seu per *modum fluxus*, ut verbum; sed semper per *modum* ? *Entis nominaliter* seu habitûs permanentis ex *Scot.* 8. *Gram.* a. 5.

4. Dicitur *cujus nulla pars &c.* ad excludendos terminos complexos, quorum partes habent eandem significationem extra, ac intra complexionem, quod non contingit in termino simplici ex *Scot.* 4. *d.* 8. *q.* 2. *n.* 14. Unde si quandoque partes ejus separatæ significent, ut in ly *Respublica*, ly *Res*, & ly *Publica*; quia tamen non significant eadem, dici possunt, omnino non significare.

5. Per ly *Finita*, excluduntur termini infiniti; ut *non homo*, *non lapis* &c. Quia licet significent negationem formæ determinatæ primario, tamen secundariò significant omnem formam aliam, ab eâ formâ negatâ, modo prorsus confuso & indeterminato.

6. Ly *Recta* demum, excludit casus obliquos, aliaque Syncategoremata, quia per se termini esse non possunt, ut ly *hominis*, *humaniter*, &c. Ac proinde nomen *Logicum* debet esse terminus simplex, finitus, Categorema-

cus, nominativi casus, & numeri singularis, ut *homo*, *lapis*.

§. 2.

De Verbo.

7. *Verbum* ex 1. *Per.* 2. est *vox significativa ad placitum, cum tempore, cujus nulla pars separata significat, finita & recta, & semper eorum quæ de altero dicuntur est nota*; id est, pro formali significato est secunda intentio, per intellectum attributa termino vocali ad placitum significativo, idque per *modum esse* participialiter seu *fluentis* ex *Scot. & Gram. n.* 5. Quia significat exercitium actionis vel passionis sub aliquâ temporis differentiâ, unde copula in propositionibus necessariis non sic *absolvitur à tempore*, quasi non significet cum tempore, sed quia non restringit earum extrema ad eam determinate differentiam temporis, quam consignificat, ut *homo est animal*, ex *c.* 1. *n.* 77.

8 Dicitur *cujus nulla pars &c.* quia in mente ei correspondere debet simplex conceptus, atque excludenda sunt *Verba adjectiva*, ut *amo*, *curro* &c. ac etiam Substantivum *est*, de 2°. *adjacente*, quia sunt resolubilia in prædicatum & copulam, ut *Petrus amat*, id est, *est amans*; *Petrus est*, id est, *est existens*; proinde solum *est* 3^m. *adjacens* est verbum *purè Latinum* & syncategorematicum.

9. Dicitur, *finita*, ad excludenda verba infini-

infinita; quale licet *est* 3^m. *adjacens* esse non possit, quia purum Syncategorema; bene tamen *est* 2m. *adjacens*, & *verba adjectiva*, non quidem qua copulam includunt, ut *Scot. 2. perih. q. 1. n. 3.* sed ratione participii ex *Ar. 1. post. 10.* ut *Planeta non scintillat*, id est, *est non scintillans*, ut constat ex Syllogismo quem ibi conficit, sc. *Stella non scintillans est prope nos*; *Planetæ non scintillant*, ergo *sunt prope nos*; si enim *minor* esset negativa, *conclusio* non esset affirmativa ex *c. 3. n. 36.*

10. Dicitur, *Recta*, id est *indicativi modi*, *præsentis temporis*, & 3^æ. *personæ*; alia enim verba sunt obliqua, faciuntque enunciationem veram solum dependenter à *Recto*.

11. Dicitur, *Et semper eorum, quæ de altero dicuntur, est nota*; quia est prædicati cum subjecto, *copula determinata*, qualis esse non potest *participium*, esto significet cum tempore, quia applicabile ad quamvis temporis differentiam, ut *Petrum fuit, est, erit currens, cursurus* &c.

---

§. 3.

De Oratione.

12. ORatio ex 1. *Per.* 4. est *vox significativa ad placitum, cujus aliqua pars separata significat, ut dictio, non ut affirmatio vel negatio*; id est, pro formali importat secundam intentionem, ab intellectu attributam termino *Logicè* complexo; qui tamen dicitur

vox, una, unitate ordinis & complexionis, atque *ad placitum* significativa, non quidem ratione sui immediatè, sed ratione partium; ejus autem pars aliqua est *per se significativa*, ut dictio categorematica, licet non omnis necessario; neque etiam necessario, ut affirmatio vel negatio.

13. Oratio dividitur primo, in *imperfectam* & *perfectam*; illa *sententiam non declarat, nec audientem quietat*, estque vel *sine verbo*, ejus tamen termini habent saltem connexionem seu congruitatem *Grammaticalem*, ut *animal rationale*; vel *cum verbo*, ut si *Petrum venerit*. Hæc & *sententiam exprimit & quietat*; estque vel *non enunciativa*, quæ verum vel falsum non significat, dividiturque in *Imperativam*, ut *fac hoc*: *optativam*, ut *utinam dies esset*, *Vocativam*, ut *miserere mei*; & *Interrogativam*, ut *unde venis?* vel *Enunciativa*, quæ est *assertiva cum veritate vel falsitate*; dicitur que enunciatio, seu *Propositio*, ut *homo est Animal*.

---

§. 4.

De Propositione in Communi.

14. PRopositio *pro formali* est 2a. *intentio*, quomodo est quid simplex Logicum, adeoque definibilis est; definitur autem in concreto, & *pro materiali* significato, quod sc. ea secunda intentio Propositionis afficit, per genus; & loco differentiæ per sufficientem suarum

harum partium subjectivarum enumerationem, quod sit *Oratio assertiva, affirmans vel negans* ex 1. *Prior.* 1. nam ex *Scot.* 4. *d.* 8. *q.* 2. *n.* 23. Prior est assertio *vi copulationis* extremorum quam *vi judicii assentientis* Propositioni ut veræ, vel dissentientis ei ut falsæ; adeoque præconcipitur à nobis Propositio per modum assertionis affirmativæ vel negativæ, quam percipitur ejus veritas vel falsitas; cum sæpius apprehendantur à nobis ut neutræ, quoad assensum hujus vel illius partis contradictionis. Igitur ly *affirmans vel negans* circumscribit differentiam essentialem Propositionis nobis ignotam; cum de facto, ut plurimum nos lateant propriæ rerum differentiæ; esse autem *veram vel falsam*, est passio Propositionis disjuncta; cum eidem Propositioni successivè competere possint, ut patet de hâc *Petrus est sedens*, si continuetur quousque dum de sedente, fit non sedens, vel è contra.

15. Quia verò Propositio præsertim à Logico spectatur ut *Signum expressivum judicii mentalis*; seu conceptus complexi, veri vel falsi; ideo melius ad propositum nostrum describitur, quòd sit *Oratio vocalis significans objectum complexum, supra quod cadere potest judicium, in quo est veritas vel falsitas; ratione conformitatis vel difformitatis, ad objectum ut est à parte rei*; idque per intrinsecam denominationem, licet in Propositione vocali sit tantum per *denominationem extrinsecam*, à veritate sc. vel falsitate in judicio, cui substituitur, desumptam; *significare* autem verum vel falsum, est significare rem ut est à parte rei, vel aliter quam est à parte rei, qui non est modus signi-

significandi aliquid vel *aliqualiter* incomplexè, sed *Propositionaliter* & complexè.

16. *Propositio* ut genus in species, dividitur in *Categoricam*, ut *Homo est Animal*; & *Hypotheticam*, ut *Petrus est homo & Paulus currit*, utraque enim est assertiva alicujus complexi, non quidem per Prædicationem semper, ut constat in Hypotheticis; sed vel per prædicationem vel per Copulationem Propositionum talium, ratione cujus præcisè postulant diversum omnino judicium de forma, habentque veritatem diversam, ut patebit ex dicendis à n. 34.

§. 5.

De Propositione Categorica.

17. PRopositio *Categorica* est *Enunciatio prædicativa simplex, constans, ut partibus præcipuis, ex subjecto, Prædicato & copulâ*; idque vel formaliter & *explicitè*, ut in Propositionibus de 3°. adjacente ut *homo est animal*; vel *æquivalenter*, ut in Propositionibus de verbo adjectivo, vel est de 2°. adjacente, ut *homo currit, Petrus est*; vel *implicitè*, ut si vox simplex ad significandam Propositionem formalem institueretur; ut si ly *Homo* imponeretur ad significandum *Petrum esse album*.

18. In quâvis Propositione, quatuor reperiuntur; sc. *Forma, materia, Quantitas & Qualitas*; quæ hic specialiter respectu Categoricæ explicabuntur.

19.

19. *Forma* Propositionis est *Copula Verbalis Principalis*; secundum quam quidditative dividitur in *affirmativam* & *Negativam*; *illa* significat objectum complexum supra quod cadere potest actus intellectus positivus, quo judicamus esse *identitatem* prædicati ad subjectum, ut *Homo est Animal*. *Negativa* significat objectum complexum, negativum quidem in se, supra quod tamen cadere potest actus positivus judicativus *non identitatis* prædicati cum subjecto, ut *Homo non est lapis*; adeoque hæ Propositiones sunt specie distinctæ.

20. Unde quamvis ex hâc *affirmativa* de prædicato infinito, *Homo est non lapis*, sequatur ista *negativa* de prædicato finito, *Homo non est lapis* ex *Scot. 1. d. 21. n. 3.* Ratione identitatis primarii significati utriusque, sc. negationis rei lapidis; non tamen æquivalent pro significato totali; affirmativa enim tantum negat *rem lapidis*, affirmat autem *rem verbi*, & indeterminatè omnem aliam rem, præter rem lapidis; negativa autem negat rem lapidis, ac etiam rem verbi, nihilque affirmat ex *Scot. 2. opere Peribet. q. 4. n. 10.* Unde subjectum in illâ supponit, pro aliquo realiter existente vel imaginabili, non sic in negativa, cum nihil affirmetur.

21. Unde regula, *Ad Propositionem negativam, negatio debet cadere supra copulam verbalem principalem*: unde hæc, *Qui non est æger, est sanus*, est affirmativa; secus hæc, *qui est æger, non est sanus.*

22. *Materia in quâ* seu circa quam Propositionis, est objectum circa quod propositio versatur, & scitur ex habitudine prædicati ad sub-

ſubjectum, objectivè Propoſitioni vocali correſpondente; adeoque eſt 3^x. ſc. *Neceſſaria*, ubi affirmativa eſt ſemper vera, ut *Homo eſt Animal*; negativa falſa, ut *homo non eſt rationalis*; *Contingens*, ubi ambæ contrariæ poſſunt eſſe falſæ, ut *omnis homo eſt albus*: *nullus homo eſt albus*; ſc. ſi tantum unus Homo ſit albus, ſubcontrariæ vero, ambæ poſſunt eſſe ſimul veræ; ut *Aliquis homo eſt albus*; *aliquis homo non eſt albus*, ſi Petrus ſit, Paulus autem non ſit albus; & *Impoſſibilis* ubi affirmativa eſt ſemper falſa, ut *Homo eſt lapis*; negativa vera, ut *Homo non eſt lapis*.

23. *Quantitas* Propoſitionis à ſubjecto, reſpectu plurium perſonaliter extenſo, vel reſtricto ſumitur, eſtque quadruplex; *Univerſalis* eſt, quando terminus communis ſigno univerſali afficitur, ut *omnis homo eſt animal*, *nullus homo eſt lapis*. *Particularis* eſt quando terminus communis afficitur ſigno Particulari, ut *aliquis homo eſt animal*; *aliquis homo non eſt albus*. *Indefinita* eſt, quando terminus communis nullo notatur ſigno, ut *homo eſt animal*, *homo eſt albus*; & Propoſitio indefinita, in materiâ neceſſariâ & impoſſibili, æquivalet univerſali; in contingenti autem, particulari. *Singularis* demum eſt, quando ſubjectum eſt terminus Singularis ſignatus, ut *Petrus*, ſeu *hic homo eſt albus*. Hæc autem *diviſio* eſt omnino *accidentalis*, per accidentalem extenſionem ſubjecti reſpectu prædicati, quia major vel minor multitudo, ſpeciem non variat; patet in his, *omnis homo eſt animal*, *aliquis homo eſt animal*.

24. *Qualitas* demum Propoſitionis eſt, *ejus veritas*

veritas vel falsitas; quæ conveniunt ipsi per habitudinem ad rem extrà, sic vel non sic se habentem, prout oratio significat per substitutionem ad judicium complexum, eas, ut sunt, vel non sunt, representans.

25. *Propositio*, ratione *Prædicationis*, ulterius dividitur in *indirectam*, seu innaturalem, & *directam* seu naturalem; in illâ prædicatur quod subjici debet, ut *animal est homo*, *album est Petrus*; in hâc subjectum continet prædicatum, adeoque etiam rationem formalem inhærentiæ prædicati ad se; estque vel *Identica*, in quâ prædicatum est idem realiter subjecto, neque ut idem realiter, dicitur per modum adjacentis de eo; vel *formalis*, & prædicatum dicitur de Subjecto per modum adjacentis, cum identitate tamen significati materialis habentis, ut *homo est animal*, *Petrus est album*. *Identica* est, vel *formaliter* talis, ut cum idem dicitur de se, ut Petrus est Petrus; vel *materialiter* tantum quia est identitas significati materialis, cum diversitate formalis; & hæc identitas vel oritur ex *unione significati formalis utriusque in* 3°. *habente*; & coincidit cum prædicatione formali; vel *ex infinitate positiva*, *vel permissivâ*, unius vel utriusque extremi; ut *Pater est deitas*, *justitia divina est sapientia divina*, *animalitas est ens* &c. Suntque identicæ *doctrinales*.

26. *Propositio* demum, ratione *modi prædicandi*, dividitur in Propositionem *simplicem*, seu de *inesse*, ubi non specificatur modus sub quo prædicatum convenit subjecto, ut *homo est animal*; & *modalem*, quæ talem modum specificat, ut *hominem esse animal est necesse*.

§. 6.

§. 6.

De Propositione Modali.

27. MOdus est, vel determinatio *termini* Propositionis, ut *Homo sapiens amat Deum*; ubi ly *sapiens*, est modus subjecti; vel est determinatio *unionis* categoricæ, facitque Propositionem modalem, quæ est *Propositio categorica, constans modo Propositionem seu Dictum determinante.*

28. Quia vero modus est triplex, sc. *Necesse*, qui significat *sic esse, quod non possit non esse*; *Impossibile*, qui significat *sic non esse, quod non possit esse*; & *Possibile* seu contingens, qui significat *sic esse, quod possit non esse*; Hinc 3. quoque est modalis Propositio: licet quævis quoad rem in esse exercito sit necessaria vel impossibilis; unde hæc *Petrum esse album est contingens*, quamvis de modo contingente, ut modus determinat *inhærens*, Id est, prædicatum dicti seu Propositionis categoricæ; est tamen necessaria, ut modus determinat *inhærentiam*, id est unionem extremorum ipsius *dicti*, sub eo modo; sic enim *necessario* convenit contingenter illi subjecto.

29. Modalis est duplex; Primò de *modo adverbialiter sumpto*, & modus est determinatio copulæ ut *Homo est necessario animal*; & ejus forma, quantitas ac qualitas, sunt eædem quæ in simplici, ut *omnis homo est necessario animal*, est modalis universalis, affirmativa, & vera.

30. Secundo est de *modo nominaliter sumpto*

&

& modus est prædicatum respectu *dicti*, quod est propositio simplex de verbo infinitivo, ut *hominem esse animal, est necesse*; ubi *forma & qualitas* principaliter & *simpliciter* attenduntur ex *parte modi* affirmati vel negati, veri vel falsi; ex *dicto* solum *secundum quid*: unde hæc, *hominem non esse animal, est impossibile* est affirmativa & vera; hæc autem, *hominem esse animal non est necesse*, est negativa, & falsa.

31. *Quantitas* similiter modalis, de modo *nominaliter* sumpto, colligitur præsertim ex modo; nam *Necesse* & *impossibile* sunt modi universales, is enim distribuit copulam pro omni tempore, hic pro omni tollit; *contingens* autem seu *possibile* est modus particularis; unde versus.

Omnis, necesse, valet impossibile, nullus; Possibile, quidam; quidam non, possibile non.

32. Modalis *nominaliter* sumpta, dicitur *composita*, dum enim prædicatur modus de extremis *dicti* simul sumptis, appellat utriusque significatum formale, adeoque significat formas, per ipsa extrema significatas, esse *simul in eodem* subjecto habente, & *pro eodem tempore*, compossibiles; unde sensus hujus, *album esse nigrum, est Possibile*, est; *hæc propositio, album est nigrum, est possibilis*; inde ex *Stor. 2. d. 2. q. 9. n. 23.* Modalis *composita* non bene distinguitur secundum *sensum compositum & divisum*.

33. Modalis *adverbialiter* sumpta, dicitur *divisa*; cum enim modus sit determinatio copulæ,

pulæ, solum appellat materiale significatum subjecti ipsius dicti, sub ratione habentis, unius tantum formarum, simul ineſſe repugnantiam; unde ſenſus hujus, *album eſt poſſibiliter nigrum* eſt; *aliquod ſubjectum eſt affectum albedine, ſimulque habet potentiam, ut ſubſtet nigredini*; licet pro alio tantum tempore ad actum reducibilem, ut *Scot. q. 28. Elench. n. 3.*

§. 7.

De Propoſitione Hypothetica.

34. PRopoſitio *Hypothetica* eſt, quæ *ex pluribus ſimplicibus, conjunctione copulativa, conſtat*; adæquatè dividitur in *Conditionalem*, cujus una pars, eſt oratio imperfecta, & dependens ab aliâ parte quoad veritatem; ut *ſi Petrus eſt leo, eſt rugibilis*; unde ejus forma eſt ly *Si*; & *Copulativam* ac *Disjunctivam*, quarum partes ſunt Propoſitiones enunciativæ; ut *Petrus eſt homo, & Petrus eſt albus*; *vel Petrus currit, vel Petrus non currit*; & hujus forma eſt ly *vel*, illius ly *Et*. Licet vero omnes Hypotheticæ Categoricas materialiter includant, earumque præſertim ratione ſint Propoſitiones aſſertivæ, per modum prædicationis; tamen earum forma ſeu formalis ratio, & ſtructura, eſt omnino diverſa, ut ex regulis patebit, adeoque ſunt *ſpecie diſtinctæ* tam inter ſe, quam à categoricis, quas includunt.

35. Ad Conditionalem ſpectat, 1. *purè conditionalis*,

tionalis, ut si *Petrus est Leo, est rugibilis*; quæ ad suam veritatem petit, bonitatem consequentiæ, quæ si absit, est falsa, unde Reg. 1. *omnis purè conditionalis vera est necessaria*, ut *si Homo est Leo est rugibilis*; 2. *omnis falsa, est impossibilis*, ut *si Homo est Leo, est rationalis*.

36. Secundo, est *Rationalis*, ut *Petrus currit, ergo movetur*, quæ præter bonitatem consequentiæ, petit quod antecedens sit verum.

37. Tertio, est *Causalis*, ut *quia Petrus est rationalis, est risibilis*, quæ ad consequentiæ veritatem, præter consequentiæ bonitatem & antecedentis veritatem, requirit quod antecedens sit causa consequentis.

38. Quarto, est conditionalis *Promissiva*, cujus veritas pendet à concomitantiâ propositi vel promissi, licet illud postmodum non impleatur, ut *si haberem libros studerem*; *si saluveris dabo tibi annulum*.

39. Ad Copulativam spectat Primo, purè *Copulativa*, ut *Petrus est albus & Petrus currit*; secundo *conditionalis voce tenus*, ut *si acceperis duos vel tres pisces, dabo tibi Pileum*; ubi per ly *si* intelligitur ly *Sive*, vel ly *vel saltem*, quæ est etiam disjunctiva vocetenus; Tertio conjunctæ per adverbia *loci, temporis vel similitudinis*; ut *Petrus est albus, ubi, quando & sicut Paulus*, id est, *Petrus est albus, & Paulus est albus in eodem loco & tempore ac similiter*.

40. Regula, *Ad veritatem copulativæ, requiritur veritas simultanea utriusque partis*; ratio est, quia cum copulet utramque categoricam, significat utrumque sic se habere simul, prout utraque enunciat; unde falsa

hæc

hæc, *Petrus est Homo, & Paulus est lapis*, licet altera categorica sit per se vera.

41. *Disjunctiva purè*, ad differentiam disjunctivæ & conditionalis vocetenus, est *vel Petrus loquitur, vel Petrus tacet*; Regula. *disjunctiva purè*, ad *sui veritatem*, *semper potest unam tantum partem esse falsam*; ratio est quia ly *vel* importat, alterius partis exclusionem, unde falsa hæc, *Petrus est homo, vel Petrus est rationalis*, quia disjunctio *vel* significat alterum eorum Petro non convenire.

42. Quantum ad Hypotheticarum Propositionum *Affirmationem & Negationem*, sit Reg. *Quando copula Hypothetica est affirmativa, Propositio est affirmativa; quando negativa, negativa*, licet etiam per partium negationem esse possint negativæ; unde hæ sunt negativæ, *non si Petrus movetur, Petrus currit; non & Petrus loquitur, & Petrus tacet; non vel Petrus est Leo, vel Petrus est lapis.*

43. *Materia* harum Propositionum non attenditur ex eâ simplicium, sed ex connexione unius simplicis cum alia; est 3^x. sc. *necessaria, impossibilis* & *contingens* seu possibilis.

44. Quoad *Necessitatem*, Reg. 1. *omnis purè conditionalis vera est necessaria* ex n. 35. Ut *si Petrus currit, movetur*; Reg. 2. *ad necessitatem copulativæ, utraque debet esse talis*, ut *Petrus est animal & Petrus est rationalis*; Reg. 3. *ad necessitatem disjunctivæ, una debet esse necessaria, altera falsa*, ut *Petrus est Homo, vel Petrus est lapis*; *vel* si utraque est contingens, debent esse *immediatè oppositæ*, ut *vel Petrus est sanus, vel Petrus est æger; vel paries est albus, vel paries est non albus.*

45.

45. Quoad *impossibilitatem*, Reg. 1. *omnis pura conditionalis falsa est impossibilis*, ex n. 35. Ut *si Petrus est lapis, est animal*; Reg. 2. *ad impossibilitatem copulativæ partes, debent esse incompossibiles*, ut *& Petrus est albus, & Petrus est non albus*; unde è contra, *ad possibilitatem ejus, debent partes esse compossibiles*; ut, *Si Petrus est homo, & Petrus est albus*; Reg. 3. *ad impossibilitatem disjunctivæ, utraque debet esse impossibilis*, ut *vel Petrus est Leo, vel Petrus est lapis*; *ad possibilitatem* autem *sufficit unius possibilitas*, ut *vel Petrus est Leo*, vel *Petrus est albus*.

46. Quoad *contingentiam*, Regula 1. *Nulla conditionalis est contingens*, quia omnis vera est necessaria, omnis falsa impossibilis, ex n. 35. Reg. 2. *Si una pars copulativæ est contingens, tota est*, ut *Petrus est homo, & Petrus est albus*. Reg. 3. *si utraque pars disjunctivæ est contingens & compossibilis, tota est contingens*; ut vel *Petrus est doctus, vel Petrus est dives*: similiter *si una est contingens, & altera impossibilis, tota est contingens*, ut vel *Petrus est albus*, vel *Petrus est lapis*.

47. *Quantitas conditionalium*; est eadem quæ in simplicibus de quibus n. 23. Unde hæc est universalis de signo affirmato, *si nullus homo movetur, nullus homo currit*; hæc particularis *si non nullus homo currit, non nullus homo movetur*.

48. *Copulativa* autem & *disjunctiva* habent propriam quantitatem, mixtam seu *mediam* inter universalem & Particularem; unde versus.

Et valet *Uterque*; *Neque* valet Utique *Non Es*:
Vel valet *Alter*, *non Vel*, *Alter non* tibi præstat.

§. 8.

De oppositione Categoricarum simplicium.

49. *Oppositio* est prima Propositionis passio; definitur *duarum Propositionum, utroque extremo eodem, sine variatione suppositionis, appellationis &c. Participantium, eodem ordine, quoad subjici & prædicari, secundum quantitatem* Universalem & singularem; *vel* quoad *qualitatem* essentialem, sc. Affirmationem & Negationem; *vel* quoad *utramque repugnantia*: estque quadruplex, secundum quadruplicem signorum oppositionem; ut patet in hâc figurâ.

Figura

Figura oppositionis Signorum.



50. Oppositio *Contradictoria* (de Subjecto communi) est *duarum Propositionum in quantitate & qualitate simul, repugnantia*; ut *omnis homo est albus*, *aliquis homo non est albus*; Singulares enim affirmativa & negativa contradicunt, ut *Petrus currit*, *Petrus non currit*. Regula, Contradictoriarum, *una semper est vera*, *alia falsa*; ratio est, quia alias, posset idem simul esse & non esse.

51. Notandum autem Propositionem Negativam debere negare totum quod affirmativa affirmat; etiam determinationem Copulæ; alias non erit Contradictoria affirmativæ; unde

hæ, *homò qua homo est albus*, *homo qua homo est non albus*, non sunt contradictoriæ; sed sunt ambæ falsæ, quia secunda affirmat *rem Verbi*, ac etiam *secundario Rem significatam indeterminatè per prædicatum*; similiter neque hæ, *Petrus semper studet*, *Petrus semper non studet*; sc. si Petrus tantum quandoque studeat, quia ly *semper*, quod est determinatio Copulæ, non negatur; unde inter hujusmodi Propositiones datur *medium*, secundum Logicos, & not. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 89.

52. Oppositio *contraria* est *duarum universalium*, *in qualitate solum repugnantia*; ut *omnis homo est albus*, *nullus homo est albus*; quo spectant *indefinitæ in materiâ necessariâ & impossibili*: ut *homo est animal*, *homo non est animal*; *homo est lapis*, *homo non est lapis*.

53. Regula, 1. *Contrariæ non possunt esse simul veræ*: ratio est, quia alias contradictoriæ possent esse simul veræ, enim ex universali veri, sequitur particularis vera; si enim *omnis homo est albus*, etiam *aliquis homo est albus*: ergo si etiam verum sit *nullum hominem esse album*, contradictoria sunt simul vera. Reg. 2. *In materiis contingenti*, *possunt esse simul falsæ*, ut *omnis homo est albus*, *nullus homo est albus*: si sc. tantum aliquis sit albus 3. *In materiâ necessariâ*, *affirmativa est semper vera*, ut *omnis homo est animal*: in *impossibili*, est *semper falsa*, ut *omnis homo est equus*, è converso dicendum est de Negativis.

54. Oppositio *Subcontraria* est *repugnantia duarum Particularium*, *in qualitate solum*; quo spectant *indefinitæ in materiâ contingenti*; ut *aliquis homo est animal*: *aliquis homo non est animal*;

animal : homo est albus, homo non est albus.

55. Regula 1. *Subcontrariæ contingentes possunt esse simul veræ, ut aliquis homo currit, aliquis homo non currit*; ratio est, quia subjectum supponit vagè. Reg. 2. *Subcontrariæ contingentes non possunt esse simul falsæ*; ratio est, quia alias contradictoriæ possent esse simul falsæ; cum particularis falsa inferat universalem subalternantem falsam; si enim falsa hæc, *aliquis homo currit*, etiam hæc, *omnis homo currit.* Porro hæc oppositio, non est vera oppositio, quia de subjecto diverso; licet enim *nomen* sit idem, non tamen *res* nomine *vago* significata.

56. Oppositio *subalternæ* est *duarum Categoricarum in quantitate tantum repugnantia*; quia una est universalis, alia Particularis, ejusdem autem qualitatis quoad affirmationem vel negationem, ut *omnis homo est albus, aliquis homo est albus*; adeoque non est vera oppositio, cum universalis includat Particularem, ut patet in exemplo.

57. Regula 1. *Si universalis est vera, & Particularis erit*, ut *omnis homo est albus*, ergo *aliquis homo est albus*; non autem è contra, nisi in *materiâ necessariâ*, adeoque solum *gratiâ materiæ*, ut *aliquis homo est animal*, ergo *omnis homo est animal.* Reg. 2. *Si Particularis est falsa, & universalis erit*, si enim falsum est *aliquem hominem currere*, falsum est *omnem currere*; non è contra, nisi *gratiâ materiæ impossibilis*; sic enim si *omnis homo non est lapis*, neque *aliquis homo erit.* Oppositiones omnes in omni materiâ ex figurâ subjectâ facilius intelligentur.

Figura Oppositionis Propositionum Categoricarum in omni Materia.

Oppositio Prima in *Materiâ necessariâ.*
Secunda in *Impossibili*
Tertia in *Contingenti*

Omnis homo est animal. *Omnis Homo est Leo.* *Omnis Homo est albus.*	*Contrariæ.*	*Nullus Homo est animal.* *Nullus Homo est Leo.* *Nullus Homo est albus.*
Subalternæ.	*Contradictoriæ.*	*Subalternæ.*
Aliquis Homo est animal. *Aliquis Homo est Leo.* *Aliquis Homo est albus.*	*Subcontrariæ.*	*Aliquis homo non est animal* *Aliquis Homo non est Leo.* *Aliquis Homo non est albus.*

§. 9.

Æquipollentia Categaricarum Simplicium.

58 Æquipollentia est Secunda Propositionum affectio; definitur autem *duarum Propositionum oppositarum, æqualentia in significato, vi alicujus negationis negantis, subjecto & signo, vel præpositæ, vel postpositæ, vel simul præpositæ & postpositæ*, pro quâ Æquipollentiâ, inservit Hæc regula.

Præ Contradic. *Post* Contrar. *Præ postque* Subaltern.

59. Si enim *negatio præponatur signo*, faciet *contradictorias* Æquipollentes; Si postponatur reddet æquipollentes *Contrarias*; si autem & *præ* & *postponatur*, inservit pro æquipollentiâ *Subalternatorum* uti infra patebit in figurâ Æquipollentiarum, n. 61.

60. Pro Æquipollentia signorum sublerviunt sequentes Regulæ.

1. Præ Contradic.
- *Non omnis, quidam non; non quidam non*, valet *omnis*;
- *Nonnullus, quidam*; sic *non quidam* quasi *nullus*;
- *Neuter, non alter*; *Non alter non*, & *uterque*.

2. Post Contrar.
- *Omnis non, nullus*; sed *nullus non*, valet *omnis*;
- *Neuter, uterque non*; *Neuter non*, præstat *uterque*.

3. Præ postque Subaltern.
- *Non aliquis non, omnis*; *non omnis non* quasi *quidam*.
- *Non aliquis non non, Nullus*; *non nullus non aliquis non*.

61. Figura Æquipollentiæ Categoricarum Simplicium.



62. Ubi patet, ly *Post Contrar.* negatione ſumptâ *nominaliter*, inſervire pro Æquipollentiâ Simplicium *Subcontrariarum*; unde hæ æquipollent, *aliquis homo eſt albus, aliquis homo non nullum eſt album*; *aliquis homo non currit, aliquis homo nullum eſt currens.*

63. Nota autem, quod Propoſitio *Negativa de prædicato finito æquipolleat affirmativæ de toto prædicato infinito*, quoad ſignificatum formale & primarium; ut *Scot.* 1. *d.* 21. *n.* 3. Et dictum eſt ſupra n. 20. quia alias Contradictoria erunt ſimul vera, contra Primum principium; hæ enim ſunt contradictoriæ, *nullus homo eſt non animal, aliquis homo eſt non animal*; vel ergo ex hac, *nullus homo eſt non animal*, ſequitur hæc, *nullus homo non eſt animal*, & habetur intentum; vel ſequitur ejus contradictoria, ſc. *aliquis homo non eſt animal*, & contradictoria erunt ſimul vera, quia *nullus homo eſt non animal*, & *aliquis homo non eſt animal* contradicunt.

64. Dixi, *De toto prædicato infinito*, quia æquipollent hæ, *lapis non eſt lignum album*, *lapis eſt non lignum album*; non vero *lapis eſt lignum non album*, quia ex *Scot.* 1. *d.* 4. *q.* 1. *n.* 5. *&* 3. *d.* 3. *q.* 1. *n.* 17. Tertia propoſitio affirmat *lignum*, quod prima negat; in duabus autem primis negatur *lignum album*, quod eſt formale ſignificatum prædicati, licet in ſecundâ affirmetur *res verbi*, & ſecundarium prædicati ſignificatum.

65. Quod verum eſt, licet *ſubjectum non conſiſtat*, unde ſimiliter æquipollent hæ, *chymæra non eſt alba*, *chymæra eſt non alba*, ex *Scot* 1. *d.* 28. *q.* 2. *n.* 8. Licet enim accidentia

tia positiva supponant subjecti existentiam, non tamen non *album*, quia est *negatio extra genus*, quæ ex *Scot.* 1. *d.* 23. *n.* 7. Convenit æqualiter Enti & non Enti, indifferenterque supponit pro Ente reali ac intelligibili ex eodem 2. *Per. q.* 4. *n.* 9. *Et not n.* 20. Affirmatur enim solum negatio principaliter, quæ non petit Subjecti consistentiam.

---

§. 10.

Conversio Simplicium Categoricarum.

66. *Conversio* est Tertia Propositionum Proprietas; definitur, *per transpositionem extremorum, quoad subjici & prædicari, unius Propositionis ad aliam necessaria consequentia, servatâ semper eâdem formâ & qualitate*; sic sc. quòd si conversa sit affirmativa & vera; etiam convertens sit affirmativa & vera. Unde Regula, *A Propositione conversâ ad convertentem, & è contra, valet consequentia*, quia ut *Scot.* 1. *d.* 21. *n.* 2. Per additum in convertente ostenditur præcisa commensuratio ejus ad conversam, per non excessum ejus. Est triplex, sc. *Simplex*, *per Accidens*, & *per Contrapositionem.*

67. *Simplex conversio* seu totalis, seu mutua, *est, quando servatur eadem quantitas & qualitas*; quomodo, gratiâ materiæ convertibilis necessariæ vel Impossibilis, convertitur universalis affirmativa; ut *omnis homo est rationalis*, ergo *omne rationale est homo*; & universalis negativa

gativa, ut *nullus homo est lapis*, ergo *nullus lapis est homo*; gratiâ autem *formæ*, Universalis negativa, solum convertitur simpliciter; ut *nullus homo est albus*, ergo *nullum album est homo*; licet hinc quoque sequatur per regulas *Subalternationis* convertens per accidens, ut *aliquod album non est homo*. Particularis quoque affirmativa solum simpliciter convertitur, ut *aliquis homo est albus*, ergo *aliquod album est homo*; licet etiam particularis negativa similiter convertatur, ut *aliquis homo non est albus*, ergo *aliquod album non est homo*, quæ etiam convertitur per *Contrapositionem*.

68. *Conversio per accidens*, Partialis seu non mutua, *est quando quantitas variatur*; *quomodo* convertitur universalis affirmativa, ut *omnis homo est animal*; ergo *aliquod animal est homo*; & universalis negativa, ut *nullus homo est albus* ergo *aliquod album non est homo*.

69. *Conversio per Contrapositionem* fit per *Infinitationem extremorum*; quomodo convertitur universalis affirmativa, ut *omnis homo est animal*, ergo *omne non animal est non homo*; Et etiam Particularis negativa, ut *aliquis homo non est albus*, ergo *aliquod non album*, *non est non Homo*; hæc tamen propriè non dicitur conversio, quia convertentis & conversæ non sunt eadem extrema; quomodo autem quævis Propositio convertibilis sit, constat ex his regulis.

Reg. 1. { *Asserit* A : *negat* E : *sed universaliter ambæ*;
Asserit I : *negat* O : *sed particulariter ambo* :

Reg. 2. { FEcI *simpliciter convertitur*, EvA *per accid.*
AsIO *per contrap. sic fit conversio tota.*

70.

70. Ubi litera *A.* significat Propositionem universalem affirmativam; quæ reperta in voce *EvA*, significat talem Propositionem converti *per accidens*; vi regulæ *EvA per acci.* Et quia similiter *A.* reperitur in *Asto*, significatur quod universalis affirmativa sit etiam *per contrapositionem* convertibilis.

71. Nota autem, quod ut conversio sit bona, affectiones terminorum non debent variari; unde non valet *aliquod genus est animal*, ergo *aliquod animal est genus*, quia suppositio *simplex* in conversa, variatur in *Personalem* in convertente; neque hæc valet *aliquis homo est mortuus*, ergo *aliquod mortuum est Homo*, quia arguitur à *Termino alienato*, *ad non alienatum* contra regulas datas *c.* 1. *n.* 80. Similiter non valet, *nullus Senex erit Puer*, ergo *nullus Puer erit Senex*; nam ly *Senex* in primâ propositione ampliatur ratione verbi de futuro, ad præsens & futurum, & ly *Puer* habet statum; in secundâ autem ly *Senex* habet statum, ampliatur autem ly *Puer.*

72. Si autem Propositio sit de secundo, *adjacente*, verbum debet resolvi in *Substantivum*, & suum *Participium*, ut *omnis Homo currit*, ergo *aliquod currens est Homo.*

§. 11.

§. 11.

Oppositio, Conversio & Æquipollentia Modalium,

73. *Oppositio Modalium* ut Modales sunt; sumitur à quantitate modorum, de quâ supra n. 31. hæc autem præsertim in Modalibus de *dicto Singulari* conspicitur, quæ proinde in Subjectâ figurâ primo loco ponitur; in secundo vero habetur oppositio Modorum de *dicto communi*; in tertio loco, Oppositio *dicti* & *Modi*; in quarto autem loco ponitur oppositio *dicti* solum.

Figura

Figura Oppoſitionis Modalium.



74. *Æquipollentia Modalium* quoad qualitatem modalem, perficitur, ut in simplicibus, per appositionem Negationis, quæ cum sit naturæ malignantis tollit totum quod sequitur, adeoque ex affirmativa facit negativam, ex universali Particularem, & è contra, unde Regula.

Præ Contradict. Post Contrar. Præ Postque Subaltern.
Præ negat *Modum, Post Dictum, Præ post utrumque.*

75. Unde ut *Contradictoriæ* æquipolleant, debet Negatio præponi Copulæ principali, proinde hæ æquipollent, *Petrum currere est necesse, Petrum non currere non est possibile.*

76. Nota autem quòd ly *Post dictum* negatione sumptâ *nominaliter*, inservit Æquipollentiæ *Subcontrariarum*, juxta dicta de æquipollentiâ Categoricarum de *inesse*; unde hæ æquipollent, *Petrum currere est possibile, Petrum non nullum esse currentem est possibile.*

77. Subsequentes dictiones notificant omnem oppositionem & æquipollentiam, sic quod *prima* cujusque *Syllaba* significet Propositionem de *modo oppositio*; *Secunda* æquipollentem è *Contradictoriâ*; *Tertia* æquipollentem è *Contrariâ* vel *Subcontrariâ*; *Quarta* æquipollentem è *Subalternâ*; Consonantes quoque *B. L.* & *M.* ac vocales *A. E. I.* & *U.* Habent suam significationem propriam, unde Regula.

MABU-

MABULEBUs; ALBIMEBIs; ABLIBAMUr, BEMIBELUs.

E. dictum negat: at *I. modum: nihil A*: Sed *V. totum.*

B. Poſſ. L. Impoſſ ſic *M.* que *neceſſe* notabit.

78. Hujus Regulæ exercitium indicat ſequens figura, de *dicto Singulari*, & *modo oppoſito* in *Modali compoſita*; ubi omnes Propoſitiones ſub unâ dictione poſitæ, ſunt æquipollentes; ſecundum quam facile erit conficere figuras Æquipollentiarum pro aliis modalibus oppoſitis.

Figura Æquipollentiarum in Modalibus Compoſitis de Dicto Singulari.

Figura

Figura Æquipollentiarum in Modalibus Compositis de Dicto Singulari.

	Petrum esse hominem est necesse.	Contrariæ.	AL	Petrum esse hominem est impossibile.
	Petrum non esse hominem non est possibile.		BI	Petrum esse Hominem non est possibile.
	Petrum non esse hominem est impossibile.		ME	Petrum non esse Hominem est necesse.
	Petrum nullum esse hominem non est possibile.		BIs	Petrum non nullum esse hominem non est possibile.

Subalternæ.

Subalternæ.

	Petrum esse hominem est possibile	Sub-contrariæ.	BE	Petrum non esse hominem est possibile.
	Petrum esse hominem non est impossibile.		MI	Petrum esse hominem non est necesse.
	Petrum non nullum esse hominem est possibile.		BE	Petrum nullum esse Hominem est possibile.
	Petrum non esse Hominem non est necesse.		LVs	Petrum non esse Hominem non est impossibile.

79. *Conversio Modalium* tam *Compositarum* quam *divisarum*, fit eodem modo quo in Conversione Simplicium, seu *de Inesse*, sc. per variationem terminorum *Dicti*, *Modo* semper invariato; ut *omnem Hominem esse animal est necesse*, ergo *aliquod animal esse Hominem est necesse*.

80. Reducitur verò Modalis ad simplicem seu *de Inesse*, ostendendo per *officiantem*, (quæ est Propositio *de inesse* inclusa in *Modali*) *Modum* ipsi sic inclusæ convenire, ut *omnem Hominem esse animal est necesse*; seu *omnis Homo est necessariò animal*; ergo hæc Propositio *omnis Homo est animal*, *est necessaria*.

§. 12.

Oppositio, Æquipollentia & Conversio Hypotheticarum.

81. CUm ly *si*, non sit Signum quantitatis, omnis oppositio *Conditionalium* erit contradictoria; ut si *Petrus currit*, *movetur*; *non si Petrus currit*, *movetur*.

82. Inter *Copulativas* verò & *disjunctivas* omnis oppositio reperiri potest, uti patet ex collatione suorum signorum, cum signis mixtæ qualitatis, quibus æquivalent ex n. 48. pro quâ stat hæc Regula, *Universaliter contradicitur Copulativæ per disjunctivam de partibus contradicentibus*; & è converso, uti patet ex hâc figurâ subjectâ.

Figura Oppositionis Hypotheticarum Copulativarum & Disjunctivarum

Figura

Figura Oppositionis Hypotheticarum Copulativarum & Disjunctivarum.

Et Petrus est albus, Et Paulus est albus; Id est, Uterque est albus.	Contrariæ.	Nec Petrus est albus, Nec Paulus est albus; Id est, Neuter est albus.
Subalternæ.		Subalternæ.
Vel Petrus est albus, Vel Paulus est albus; Id est, Alter est albus.	Subcontrariæ.	Vel Petrus non est albus, Vel Paulus non est albus; Id est, Alter non est albus.

83. De Hypotheticarum Æquipollentiâ & Converſione, parum curandum eſt; cum illa Propoſitiones Hypotheticas faciliores non reddat, ſed magis implexas; hæc autem ſit prorſus inutilis & inuſitata.

---

§. 13.

De Propoſitionibus Exponibilibus & Inſolubilibus.

84. PRopoſitiones *Exponibiles* ſunt, quæ conſtant Terminis *exponibilibus*, de quibus, eorumque exponentibus ſatis dictum eſt *c.* 1, *à n.* 84.

85. Porro licet eæ Propoſitiones ſint *formaliter* Categoricæ, tamen ratione propoſitionum exponentium, quas *virtualiter* continent, vel in *ſignificando*, vel ſaltem in *inferendo*, ſunt Hypotheticæ *virtualiter*; unde quæ per conditionales exponuntur, ſolum habent oppoſitionem contradictoriam, ut & ipſæ conditionales ex *n.* 81. Quæ vero per Copulativas & disjunctivas exponuntur, omnem admittunt oppoſitionem, ut patet in *Excluſivis de Subjecto Excluſo*, pro quarum oppoſitione univerſaliter ſtat hæc regula.

86. *(1.) Nihil negat.* (2.) aut *Copulat.* (3.) *Signum.* (4.) vel *tollit utrumque.*

Ubi

Ubi prima & ſecunda pars ſignat *Exponibiles contrarias*, aliæ duæ *ſubcontrarias*, & quidem contrariæ ſemper exponuntur per *Copulativas*; Subcontrariæ vero per *diſjunctivas*, quæ contrariis contrădicunt ex *n.* 82. Si ſint de *Partibus contradicentibus*; ſtat proinde univerſaliter hæc Reg.

87. 1. *IgnE*, 2. *tOnAns*, 3. *pErdIt*, 4. *mAlOs.*

88. Oppoſitio tam exponibilium quam exponentium, patet ex hâc figurâ de *Subjecto excluſo*, per vocales intelligendo diverſam Propoſitionum quantitatem ſecundum Regulam *Aſſerit. A.* &c. *n.* 68.

Figura Oppositionis Exponibilium & Exponentium de Subjecto Exclusō.

89. Propositiones *Insolubiles* sunt, quæ seipsas falsificant, suamque destruunt veritatem; idque vel *immediatè*, si nunquam possunt esse veræ, ut *omnis Propositio est negativa*, quæ est immediatè falsa, cum ipsa sit affirmativa; *Natura quâ abstracta concernit plura* quæ formaliter falsa est, cum *modi significandi* sint incompossibiles: vel *per accidens solum*, ex aliquo sc. casu, quo non posito, Propositio esset vera, ut si Petrus promittat Paulo pileum, & tamen Paulus faciat hanc Propositionem, *Petrus non dabit mihi Pileum*; hæc Propositio, suppositâ conventione, seipsa falsificat; quia destructiva *Pacti*; proinde omnes hujusmodi Propositiones sunt simpliciter falsæ.

CAPUT III.

De Syllogismo.

§ 1.

Quid & Quotuplex Argumentatio?

1. HActenus de *Materiâ ex Quâ* tam *remota*, quam *proxima* Syllogismi; jam videndum de ipsa formâ Syllogisticâ, quid significat, & quot sumitur modis?

2. Tres sunt operationes intellectus; Prima est *simplex apprehensio*, quæ est objecti simplex

plex conceptio, sine affirmatione vel negatione sive objectum sit complexum, sive non. Secunda est *judicium*, quod est conceptio objecti, cum Compositione vel divisione seu affirmando vel negando; estque propriè respectu Propositionum. Tertia est, *discursus* seu Argumentatio, quæ est *Oratio in qua unum ex alio infertur*, ut *Homo est animal, ergo Homo est Substantia*; unde Primò continet *Antecedens* seu Propositionem inferentem, ut *Homo est animal*; Secundò *Consequens*, seu Propositionem illatam, ut *Homo est Substantia*; & Tertiò *Consequentiam*, quæ est habitudo Consequentis ad Antecedens, significata per *ly Ergo*.

3. *Consequens* propriè dicitur *verum vel falsum*, quia Propositio; *Consequentia* autem propriè dicitur *bona* vel *mala* seu vitiosa, adeoque similiter *Argumentatio*; est enim *vitiosa*, si non bonam, vel malam infert consequentiam; est autem *bona*, quæ bonam, & legitimam facit consequentiam.

4. Bona *Argumentatio* est duplex sc. *Materialis solum*, si servatâ eâdem formâ, in alia Materiâ, non habetur Consequens verum, ut Conversio simplex universalis affirmativæ, quæ tantum tenet in terminis convertibilibus, ex *c. 2. n. 67.* Ut *omnis Homo est rationalis, ergo omne rationale est Homo*; non enim valet, *omnis Homo est animal, ergo omne animal est Homo*. Et *Formalis* quæ nititur medio universaliter concludenti, qualis est Conversio Simplex universalis negativæ, ut *Nullus homo est albus, ergo nullum album est Homo*, & talis est

omnis

omnis consequentia, quæ tenet ratione formæ Syllogisticæ, & per *loca Topica*.

5. *Argumentatio formalis* est duplex sc. *solum illativa*, & *etiam probativa*; prima præcisè tenet ratione formæ Syllogisticæ, fit enim vel in *Materiâ impossibili*; vel in *Terminis non significantibus*; vel antecedens non est *notius* consequente, ut contingit in Syllogismis *Pseudographis*, quod proinde vim probandi non habet, ut *omnis Homo est lapis, omne lignum est Homo, ergo omne lignum est lapis*; tenet per *Barbara*. Item *nullum Blictri est Blactri, omne flictri est Blictri*, ergo *nullum flictri est Blactri*; tenet per *Celarent* &c.

6. *Illativa & simul Probativa*, est quæ tenet, non tantum *gratiâ formæ*, sed etiam *gratiâ Materiæ in quâ* fit, quia una Propositio est *notior* aliâ, adeoque habet *vim notificandi* consequens, ut cum *passio* Syllogizatur de *definito*, per *definitionem*, intrinsecè causalem in essendo, ut *omnis Homo est rationalis*, ergo *omnis Homo est risitivus*, & universaliter contingit in Syllogismis *demonstrativis* & *dialecticis* ex probabilibus, irrefragabilibus moraliter.

---

§. 2.

Regulæ Generales bonæ Argumentationis.

7. Regula prima. *Ex Antecedente vero, sequitur consequens verum*; ratio est, quia ratione bonitatis consequentiæ, veritas Antecedentis

cedentis trahit post se veritatem consequentis, quod est *quasi pars* ejus; idque conformiter ad Antecedentis naturam *necessariam* &c. vel *contingentem*; ut *Petrus est Homo, albus; ergo est animal, album*; proportionatè ad connexionem prædicati cum Subjecto in Antecedente, necessariam vel contingentem.

8. Quando ergo in hâc, *omne currens movetur, sed omne currens est animal, ergo aliquod animal movetur*; infertur *Consequens contingens*, una saltim præmissarum erit contingens. Sciendum igitur, quod licet Hæc sit essentialis, *Cursus est motus*, quia in terminis abstractis, tamen hæc, *currens est movens*, est *contingens*; quia sunt termini *concreti accidentales*, facientes *unum per accidens* ex formali significato & consignificato quod connotat; nihil enim dicitur *per se* de eo quod *non est unum per se* ex *l.* 2. *c.* 1. *n.* 18. Unde est *Appellatio Materialis* ex dictis *c.* 1. *n.* 83. Adeoque verificatio est solum pro materiali habente, de quo formale Prædicati tantum dicitur contingenter; cum etiam omnis Propositio in Materiâ contingenti, de Tertio *adjacente* positivo, semper supponat subjecti *consistentiam*, adeoque sit explicabilis per aliam de Secundo adjacente ex 1. *Prior.* 42. eò quod Subjectum habeat *statum*, unde in hâc, *Petrus est albus*, sensus est, & *Petrus est, & Petrus est albus*; ideo omnis talis est *virtualiter Copulativa*, ad cujus veritatem & necessitatem ex *c.* 2. *n* 40. requiritur veritas & necessitas utriusque partis; per consequens, cum in hâc Copulativa, *omne currens est, & omne currens est movens*, Prima Propositio sit contingens, tota hypothetica erit contingens; adeo-

adeoque etiam Consequens erit contingens.

9. Regula Secunda. *In bona Consequentia Probativa, ex Antecedente falso, impossibili vel Contingenti, sequitur Consequens similiter tale*; ut *Petrus est asinus niger, ergo est animal rudibile, affectum colere visûs collectivo.*

10. Dixi in *Probativâ*, quia in Consequentiâ *solum illativa* & *sine reduplicatione causali* Antecedentis, ex Antecedente falso quandoque sequitur verum, ut *Petrus est asinus, ergo est animal*; Ex impossibili, etiam aliquando sequitur consequens contingens, & necessarium, ut *Homo est Leo, ergo respirat ergo est animal* & demum ex contingenti, sequitur sæpius necessarium, ut *Petrus discurrit, ergo est rationalis.*

11. Regula Tertia. *In bonâ Consequentiâ, posito Antecedente seu inferiori, ponitur consequens seu superius*; *Hocque ablato illud tollitur*; *non è contra*; unde sequitur *est Homo, ergo est animal*, non è contra *est animal, ergo est Homo*; similiter sequitur, *non est animal, ergo non est Homo*: non è contra. *non est Homo, ergo non est animal*; Secundum regulas Prioris convertibilis *c.* 1. *n.* 57.

12. Regula Quarta. *A Primo, essentialiter sumpto & absolutè supponente, ad ultimum, est bona Consequentia*; ut *Petrus est Homo, Homo est animal*; *animal est Substantia, ergo Petrus est Substantia*; Fundatur in Prima Regula Anteprædicamentali, de quâ *c.* 1. *n.* 52.

13. Regula Quinta. *Quando ex Antecedente sequitur Consequens, ex opposito Consequentis sequitur oppositum Antecedentis*; ut *omnis Homo est animal, ergo omne non animal est non Homo*; juvat in *Reductione ad impossibile*, arguendo

guendo à contradictorio consequentis, ad contradictorium Antecedentis; seu à Constructivo ad destructivum, de quo *n.* 65. Per locum ab oppositis contradictoriè, cavendo fallaciam non causæ ut causæ probativæ, de quâ *l.* 2. *c.* 3. *n.* 50.

14. Regula Sexta. *Licita est Argumentatio ex Suppositione impossibili, cum consistentiâ Suppositionis*; id est, si ambo contradictoria non sequantur per *locum intrinsecum*, ut *Scot.* 1. *d.* 11. *q.* 2. *n.* 2. Non enim valet, supposito Petrum *non esse rationalem*; inferre adhuc quod sit *Homo*, quia sequerentur contradictoria per locum intrinsecum; sc. *non esse Hominem* ex supposito inferente, & simul *esse* ex supposito illato; valet autem, supposito *Petrum non esse rationalem*, adhuc inferre, *quod sit animal*, *vel* risitivum; quia ex suppositione illâ non immediatè sequitur, *non esse animal*, vel *risitivum*, per locum *intrinsecum*, sed tantum per *extrinsecum*, sc. ex naturali concomitantiâ constitutivorum essentialium, vel differentiæ essentialis & propriæ passionis; quæ regula plurimum juvat ad cognoscendas causas, & rationes formales *præcisas* rerum, per verificationem contradictoriorum de iis: sic enim Probatur distinctio formalis ex natura rei, quia Homo *qua animal* convenit cum bruto, *qua rationalis* non convenit cum ipso.

§. 3.

§. 3.

Quotuplex Argumentatio?

15. ARgumentatio ex 2. *Prior.* à 23. est quadruplex, sc. *Exemplum*, *Inductio*, *Enthymema*, & *Syllogismus*.

16. *Exemplum* est Argumentatio, quæ *ex uno vel pluribus singularibus*, *infert singulare*, *vi similitudinis*; ut sicut Deus *pepercit Petro Pœnitenti*, & *Latroni pœnitenti*; ergo similiter parcet *Paulo* taliter *pœnitenti*, unde *Terminus similitudinis* debet utrinque exprimi.

17. Reducitur autem ad formam Syllogisticam, sumendo *terminum similitudinis* pro medio, sic; *Petrus & Latro Pœnitentes sunt misericordiam consecuti*, *sed Paulus pœnitet sicut Petrus & Latro*, *ergo Paulus misericordiam consequetur*.

18. *Inductio* est, quæ *ex singularibus sufficienter enumeratis*, *colligit universalem*; dicturque *Ascensus*, quomodo probatur veritas propositionis universalis, & Primò petit *Sufficientem singularium*, vel *Partium Integralium*, vel *minus universalium*, *enumerationem*; idque vel *expressè*, vel saltem *æquivalenter*, sc. per ly *& non sunt plura*; vel per ly, *& quodlibet ab hoc & illo* &c. Secundò petit ex *Scot.* 2. *d.* 2. *q.* 9. *n.* 24. Quod *omnes veræ sint compossibiles*, tam sc. *indeterminatæ*, quam *determinatæ*: & tunc tenet universaliter, ut *hic ignis comburit*, *& ille ignis comburit*, *& quilibet ab hoc & illo*, *ergo omnes comburunt*.

19.

19. Dixi *Compossibiles*, non enim tenet consequentia; si omnes non sint compossibiles; unde si quis ex *decem* lapidibus, potest ferre *quosvis novem*, non autem *decimum*, non sequitur, *Petrus potest ferre hunc lapidem & illum* &c. vel *hos novem & illos novem, ergo omnes*; defectu collectionis omnium simul.

20. De *Descensu* oppositio satis *cap. 1. n. 69. & 70.* Ubi de quadruplici *Suppositione* personali.

21. Inductio reducitur ad Syllogismum, sumendo *Collectionem Singularium* pro medio, ut *hic ignis comburit, & ille ignis comburit, & quilibet ignis ab hoc & illo comburit, atqui omnis ignis est hic & ille*, & *quilibet ab hoc & illo, ergo omnis ignis comburit.*

22. *Enthymema* est Syllogismus *truncatus*, constans sc. Antecedente & consequente, ut *omnis Homo est rationalis, ergo omnis Homo est risitivus*, ubi in ore deficit major Propositio, quæ in mente habetur, sc. *Omne rationale est Risitivum*, quæ si adjiciatur, erit perfectus Syllogismus, sc. *omne rationale est risitivum, atqui omnis Homo est rationalis, ergo omnis Homo est risitivus. Syllogismus* est qui *constat duabus præmissis & conclusione*; de quo §. *seq.* plura sunt dicenda.

23. Unde constat, omnes argumentationes præfatas esse *virtualiter* Syllogisticas, similiter omnes alias *consequentias* formales tenentes per *Regulas Logicales & Loca dialectica*; ex enim Regulæ sunt earum consequentiarum media; quæ eâ ratione dicuntur *principia communia*; patet in hâc, *universalis affirmativa convertitur per accidens*; *sed hæc, omnis Homo*

est

est animal, est universalis affirmativa, ergo convertitur per accidens.

---

§. 4.

Quotuplex Syllogismus?

14. Syllogismus penes Propositiones ex quibus constat, dividitur in *Hypothetícum*, de quo n. 81. & *Categoricum*, qui ex 1. *Prior.* 1. est *Oratio, in quâ, quibusdam positis, alterum quid à positis, necesse est contingere, eo quod hæc sint*; id est, est Secunda intentio per intellectum nostrum attributa orationi vocali, quæ est una unitate medii, unitate formæ Syllogisticæ, et unitate finis, seu conclusionis inferendæ; & in quâ quibusdam terminis in figura dispositis, ac propositionibus seu præmissis in modo; aliud quid à positis, sc. conclusio, necesse est sequi vi illius dispositionis, idque necessitate consequentiæ, qualecunque sit consequens. Seu ut alii brevius, est *Oratio discursiva constans medio cum extremis dispositis*; ut

Præmissæ. { *Omne Rationale est Risitivum.*
{ *Atqui omnis Homo est Rationalis.*

Conclusio. *Ergo omnis Homo est Risitivus.*

15. Nota autem, quo cum Syllogismus sit artificiatum quoddam intentionale, habebit sua *principia constitutiva*; Hæc sunt duplicis generis, sc, *Materialia* & *formalia*; illa vel sunt

sunt materialia *remota*, ut termini, qui sunt tantum tres, quorum is qui bis ponitur in *Præmissis* dicitur *medium*, ut ly *Rationale* in Syllogismo præfato *n.* 24. Qui verò ponitur in primâ Propositione seu majori, dicitur *Major extremitas*, ut ly *Risibilium*; qui autem ponitur in Secunda Propositione seu minori, dicitur *Minor Extremitas*, ut ly *Homo*; Vel sunt Principia materialia *proxima*, ut Propositiones, quæ sunt tantum tres, sc. *Major* quæ primò profertur, *Minor* quæ subsumitur, cum ly *Sed*, vel *Atqui*; & *conclusio* quæ infertur cum ly *Ergo*.

26. Principia Syllogismi *Formalia* sunt, quibus materia *ex quâ* Syllogismi (sc. termini & Propositiones) disponitur, talia sunt duo sc. *Figura & Modus*.

27. *Figura* est *quâ disponuntur Termini in Propositionibus, quoad Subjici & Prædicari*; & communiter triplex assignatur, vel enim medium *subjicitur* in Majori, & *prædicatur* in minori, & est *Prima Figura*; vel in utraque præmissa *Prædicatur*, & est *Secunda Figura*; vel in utraque *subjicitur*, & est *Tertia Figura*. *Quarta Figura* quæ communiter *Galeni* dicitur, in quâ Medium Prædicatur in Prima Propositione, & subjicitur in secundâ, non differt à Primâ Figurâ, nisi penes accidentalem Præmissarum transpositionem; sic enim in Syllogismo supradicto *n.* 24. Major fiat minor, & Minor fiat Major, & habetur hæc quarta Figura, quam proinde rejicit Aristoteles *1. Prior. 4. & Scot. q.* 38. *n.* 6.

28. Dispositio medii in tribus figuris, patet ex hâc Regulâ.

Sub:

sub: Prad: Prima, *bis Prad*: Secunda. Tertia *bis Sub:*

29. *Modus est dispositio Propositionum, secundum debitam quantitatem*, sc. universalem vel Particularem; *& etiam debitam qualitatem*, sc. affirmationem vel negationem; de quo plura à *n.* 54.

---

§. 5.

Principia Syllogismi Regulativa.

30. PRincipia Syllogismorum *regulativa*, sunt Regulæ quædam ab intellectu argumentativo apprehensæ, secundum quas, Syllogismos *idealiter* fabricat; & Syllogismi exerciti hauriunt certitudinem & evidentiam consequentiæ in concludendo; sunt duo.

31. Primum Principium regulativum est, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Ubi primo, per ly *Quæ sunt eadem uni Tertio* non intelligitur necessariò identitas realis; sed vel *illa*, quomodo probatur *passio* de subjecto, per *definitionem* formalem; vel connexio necessaria, eique vel simpliciter, quomodo probatur existentia *correlativi*, per existentiam *relativi*; & per *effectum* in actu, existentia *causæ* in actu; vel ex *Suppositione*; quomodo conditionalis promissio est medium probandi ejus executionem conditionalem ex *c.* 2. *n.* 38. Secundò per ly *Sunt eadem inter se*; intelligitur, quoad

similem, & non majorem identitatem; non enim sequitur, *Pater est Deus, Filius est Deus, ergo Filius est Pater*; cùm ex eorum identitate in *Essentiâ*, non sequatur identitas inter se *personalis*, ex *Scot. 1. d. 2. q. 7. n. 47.* sed tantum *Essentialis*.

32. Et hoc principium regulat Syllogismos *affirmativos*; uti è converso, *Quod est idem alicui tertio, cum quo aliud non est idem, illa non sunt eadem inter se*; regulat *Negativos*; estque hoc principium tantæ evidentiæ & efficaciæ, quod ipsi nitatur tota vis argumentationis Syllogisticæ; præsertim in Syllogismis *Expositivis*, de quibus *n. 74.*

33. Principium Secundum, primo innitens, est regulativum solum Syllogismorum de medio communi, cui sc. præfigitur signum distributivum; & dicitur, *Dici de omni Prioristicum*; sc. Quicquid dicitur de Subjecto absolutè supponente, dicitur de omni subcontento; quod *affirmativos* regulat; & *Dici de nullo Prioristicum*; sc. Quicquid negatur universaliter de subjecto, negatur de omni subcontento; quod regulat *negativos*.

34. Dixi, *primo innitens*: ideo enim prædicatum affirmatur, vel negatur de contentis sub subjecto, quia est idem vel diversum ab ipso; ideo enim *Homini* tribuitur *rationalitas* prædicabiliter, removetur *irrationalitas*; quia *Homo*, habet, unde illud prædicatum connectatur, & unde aliud non sit ipsi connexum.

§ 6.

§. 6.

Regulæ Communes & Speciales Figurarum.

35. SUnt quinque Regulæ *communes* omni figuræ, quoad formam Syllogisticam; his versibus contentæ.

(1.) *Ex Negativis*; (2.) *vel Particular: nihil infers;*
Distribui Medium nam, si commune, necesse est.
(3.) *Si præcat Partic. sequitur conclusio Partic.*
Sique Negata præit, sequitur conclusio Negans.
(4.) *Nunquam concludit Medium*; (5.) *nec Term: variatur*
Proprietas, nisi quam causat Suppositio Signi.
Non distributum nunquam conclusio distrib.
Distrib. Vn: Aff: prox. Term: confunditque remotum;
Distribuit Signum Vn: Neg: atque Negatio, totum.

36. Regula Prima significat, quod ex *duabus præmissis negativis* nihil possit evidenter inferri, evidentiâ Præmissarum; quia Syllogismus talis nullo regulatur Principio regulativo; si enim neutrum extremorum connectatur *Medio* in

Præmiſſis, medium non poteſt eſſe ratio connexionis eorum in concluſione; patet in hoc Syllogiſmo, *nullus lapis eſt animal, nullus Homo eſt lapis, ergo nullus Homo eſt animal.* Unde vi hujus Regulæ, rejiciendi ſunt ex quâvis figura *quatuor modi*; Primus de Præmiſſis *negativis univerſalibus*; Secundus de *negativis Particularibus*; Tertius de Præmiſſis *negativis univerſali & particulari*; Quartus de Præmiſſis *Negativis particulari & univerſali.*

37. Regula Secunda ſignificat; quod ex *duabus Præmiſſis Particularibus*, de medio communi, nihil poſſit inferri, evidentiâ Præmiſſarum; cujus ratio aſſignatur per ly *diſtribui medium* &c. quando enim Medium eſt Terminus communis, & in alterâ Præmiſſarum non diſtribuitur, in una poteſt ſupponere pro uno ſignificatorum ſubcontentorum, in aliâ pro altero; adeoque ipſum non poteſt habere vim uniendi extrema inter ſe in concluſione; quia *non ſunt eadem uni tertio*; patet ex hoc Syllogiſmo, *aliquod animal eſt Homo, aliquod brutum eſt animal, ergo aliquod brutum eſt Homo.* Unde vi hujus Regulæ, rejiciendi ſunt è quâvis figurâ *quatuor modi*; Primus de Præmiſſis *particularibus negativis*, qui eſt Secundus excluſus per primam Regulam; Secundus de *Particularibus affirmativis.* Tertius de *Particularibus affirmativa & negativa*, Quartus de *Particularibus negativa & affirmativa.*

38. Regula Tertia ſignificat *Concluſionem debere eſſe*, vel *particularem*, ſi altera Præmiſſarum ſit Particularis; *vel negativam*, ſi altera præmiſſarum ſit negativa; *vel particularem negativam*, ſi una Præmiſſarum ſit talis; vel una

sit Particularis, altera negativa; unde *Axioma* ex Scot. 3. *d.* 24. *n.* 16. *Conclusio omnis sequitur debiliorem partem.*

39. Cujus ratio est, quod universaliter, quando duæ causæ partiales, *partialitate causæ* causant effectum communem, licet is effectus possit, quandoque dum causæ sese fortificant, producere effectum perfectiorem, causâ minus perfectâ; sic enim motus à vi motrice animæ, & tibiâ claudâ, est vitalis; tamen nunquam pertingit perfectionem causæ perfectioris, eique ratione dicitur sequi causam debiliorem; unde motus prædictus dicitur claudicatio. Cum ergo duæ Præmissæ sint causæ partiales subordinatæ, non quidem sese fortificantes quoad veritatem, certitudinem vel evidentiam sibi propriam; mutuo tamen sese juvantes, ad evidentiam consequentiæ causandæ, si altera sit debilior, effectus ipsam sequetur ex *Scot.* 1. *d.* 3. *q.* 7. *n.* 39. Ergo similiter conclusio ipsam sequetur.

40. Quia ergo conjunctio extremorum cum medio in Præmissis, vel unius saltim extremi cum ipso, in altera Præmissarum, est causa præcisa evidentiæ consequentiæ ex *n.* 31. Si in unâ conjungatur solum particulariter cum medio, quia pro altero tantum significatorum ejus subcontentorum; quæ est debilior conjunctio, quam unio secundum significatum ejus adæquatum; ideo conclusio est particularis necessariò; eò quod minus perfecta conjunctio cum Tertio, impediat vim, alioqui secuturam ex perfectâ conjunctione, secundum se spectatâ; ideoque trahet ad se efficaciam ejus. Similiter si alterum extremum in unâ Præmissarum con-

jungatur ſolum negativè cum medio, cum negatio ſit malignantis naturæ, adeoque ex parte ſuâ tendat ad deſtructionem unionis extremorum inter ſe, impediet vim affirmativæ, ipſamque trahet ad ſe, inferetque concluſionem ſolum negativam.

41. Unde hæc Regula non regulat Syllogiſmos quoad *evidentiam Præmiſſarum*, ſed tantum quoad *evidentiam conſequentiarum*, quantum ad debitam quantitatem & qualitatem eſſentialem, concluſionum inferendarum; & ex eâdem Regulâ colligitur materia circa quam concluſionis, ſi præmiſſæ ſint in materiâ diſparata; nam etiam quoad materiam circa quam, concluſio ſequitur debiliorem partem, ob rationem dictam; ideoque ſi altera præmiſſarum ſi inevidens, probabilis vel contingens, etiam concluſio erit; ut *omnis Homo eſt Subſtantia corporea, Chriſtus eſt Homo, ergo Chriſtus eſt Subſtantia corporea; omnis mater diligit ſuum filium, Lucretia eſt mater, ergo diligit ſuum filium; omne animal eſt album, omnis Homo eſt animal, ergo omnis Homo eſt albus.*

42. Regula quarta ſignificat, *Terminum medium, non ingredi concluſionem*, ſed concluſionem coaleſcere ex ſolis extremis, quæ prius erant in Præmiſſis, ſigillatim unita cum medio; eorum enim inter ſe unio, in præmiſſis, eſt *Cauſa in cognoſcendo* Concluſionis, unio autem inter ſe in Concluſione eſt finis Syllogiſmi, & Præmiſſarum effectus *in cognoſcendo.*

43. Regula quinta ſignificat, *Terminorum Suppoſitionem non debere mutari*, niſi quæ oritur à Signo diſtributivo; adeoque nullus terminus debet eſſe *Æquivocus*; neque debet

eſſe

esse *transitus* à Suppositione Materiali ad Formalem; à Personali ad simplicem; ab Amplo ad Strictum &c. neque debet esse aliquis terminus *distributus* in Conclusione; qui non fuit distributus in Præmissis; alias enim erunt *quatuor termini* in Syllogismo.

44. Quæ autem sequuntur in *quintâ Regulâ*, tantum exponunt vim Signorum, quantum ad distributionem terminorum, quos afficiunt. Igitur Signum *universale affirmativum* solum distribuit terminum cui *immediatè* præfigitur; *remotum* autem solum *confusum* & indeterminatum reddit; Signum *Negativum* verò, & *Negatio*, tam *signata* quam *exercita*, distribuunt *totum* quod sequitur; quia malignantis naturæ, de se totum tollunt, quod positivum ponit.

45. Ex Regulis communibus desumuntur *tres Regulæ speciales*, pro modis, qui in Tribus Figuris directè concludunt, quæ his versibus continentur.

Regula. { 1ª Figuræ. *Sit Minor affirmans, nec Major sit specialis.* / 2ª Figuræ. *Una negans Præcat, nec Major sit specialis.* / 3ª Figuræ. *Sit Minor affirmans, Conclusio sit Specialis.* }

46. Prima significat, *minorem in Primâ figurâ non debere esse Negativam*, alias Conclusio erit, & per consequens, Major Extremitas distribuetur in Conclusione, non distributa in Majori, contra *quintam Communem*; unde non valet, *omne Rationale est Substantia, nullus la-*

pis est rationalis, ergo nullus lapis est Substantia; adeoque præter *septem* præfatos Syllogismorum modos, exclusos vi *primæ & secundæ* regulæ communis, exclude *tres* alios modos; Primus est, cujus præmissæ sunt *universales, affirmativa & negativa*; Secundus est, cujus Præmissæ sunt *universalis affirmativa & particularis negativa*; Tertius est cujus Præmissæ sunt *Particularis affirmativa & universalis negativa*.

47. Similiter *Major debet esse universalis*, quia alias medium, quod subjicitur, non distribueretur; unde non valet, *Aliquod animal habet quatuor pedes, omnis Homo est animal, ergo omnis Homo habet quatuor pedes*; adeoque ulterius exclude alios *duos modos*; Primus est qui habet præmissas, *particularem & universalem affirmativas*; Secundus est, qui habet *Particularem Negativam & universalem affirmativam*. Proinde in Primâ figurâ solum restabunt *quatuor modi, directè* concludentes. De quibus n. 54.

48. Secunda significat, in *secundâ Figurâ, unam Præmissam debere esse Negativam*, ut medium, quod in utraque prædicatur, in altera distribuatur, secundum *Secundam communem*; unde non valet, *omnis Homo est animal, omne brutum est animal, ergo omne brutum est Homo*; unde ex hac, rejice *tres alios Modos*; Primus est, habens *ambas universales affirmativas*; Secundus est, habens *universalem & Particularem affirmativas*; Tertius est, habens *Particularem & universalem affirmativas*.

49. Debet etiam *Major esse universalis*, ut Subjectum ejus distribuatur, quia est iterum distribuendum, in conclusione, utpote quæ ex

Prima

Prima parte Regulæ, ſemper eſt negativa; adeoque ulterius rejice *duos alios modos*; Primus eſt, qui habet præmiſſas *particularem affirmativam, & univerſalem negativam*; Secundus eſt, qui habet *particularem negativam & univerſalem affirmativam.* Proinde ſolum *quatuor modi directi* manent in ſecundâ figurâ. De quibus n. 57.

50. Tertia ſignificat, in *tertiâ figurâ*, *minorem debere eſſe affirmativam*; cum enim medium utrinque ſubjiciatur, ſi minor ſit negativa, vel ambæ præmiſſæ erunt negativæ, vel prædicatum majoris non diſtributum, diſtribuetur in Concluſione, quæ deberet eſſe negativa ex *Secundâ communi*; unde non valet, *omne animal eſt Subſtantia, nullum animal eſt lapis, ergo aliquis lapis non eſt Subſtantia*; adeoque præter Syllogiſmos particulariter hic per ſecundam communem excluſos, exclude alios *tres modos*; Primus eſt, qui habet Præmiſſas *univerſales, affirmativam, & negativam*; Secundus eſt, qui habet præmiſſas *univerſalem affirmativam, & particularem negativam*; Tertius eſt, qui habet præmiſſas *particularem affirmativam, & univerſalem negativam.*

51. *Concluſio* quoque *non debet eſſe univerſalis*, alias enim, ejus ſubjectum in Minori affirmativa non diſtributum, diſtribueretur in concluſione; unde non valet, *omne animal eſt ſubſtantia, omne animal eſt album, ergo omne album eſt ſubſtantia*; unde in hâc reſtant ſolum *ſex modi directi*, de quibus n. 58.

§. 7.

§. 7.

Figuræ & Modi Syllogistici.

15. PRæmissæ in quâvis figurâ possunt, quoad quantitatem universalem & particularem, quatuor modis variari; & quivis modus adhuc aliis quatuor modis secundum qualitatem affirmativam & negativam; adeoque in quâvis Figurâ esse possunt sexdecim *modi*, quorum tamen varii per regulas communes & speciales sunt exclusi, ex dictis.

53. Porro, cum tres primi primæ figuræ concludant vel affirmativè, vel universaliter negativè, poni possunt alii tres *indirectè* concludentes, per conclusionis *conversionem*, alii quoque duo, per *Conversionem & transpositionem*, præmissarum quarti modi; inde *versus*.

Quatuor Modi directi Primæ Figuræ.
Barbara, Celarent, Darii, Ferio ——
Quinque Indirecti Secundæ Figuræ,
—— *Baralipton.*
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
Quatuor directi Secundæ Figuræ
Cesare, Camestre, Festino, Baroco ——
Sex directi Tertiæ Figuræ.
—— *Darapti,*
Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison.

54. His addi possunt in Primâ figurâ, per Regulas Subalternationis, *Barbari* & *Celabo*, directè concludentes; in Secunda autem, *Cesare* & *Camestres* concludunt directè particulariter per

per regulas ſubalternationis, ac etiam *indirectè* univerſaliter & particulariter, per regulas Converſionis. In tertia demum, *Darapti*, *Diſamis*, & *Datiſi* concludunt particulariter indirectè per Regulas Converſionis; ſubjicio *Exempla*.

Modi Directi Primæ Figuræ.

Bar Omne animal eſt Subſtantia;
1. *ba* Omnis Homo eſt animal.
ra. *Ergo* omnis Homo eſt Subſtantia.

Ce Nullum animal eſt lapis,
2. *la* Omnis Homo eſt animal.
rent. *Ergo* nullus Homo eſt lapis.

Da Omnis Homo eſt rationalis;
3. *ri* Aliquod animal eſt Homo.
i. *Ergo* aliquod animal eſt rationale.

Fe Nullus Spiritus eſt Corpus;
4. *ri* Aliqua Subſtantia eſt ſpiritus:
o. *Ergo* aliqua Subſtantia non eſt corpus.

55. *Modi directi Primæ figuræ vi Subalternationis.*

Bar Omne animal eſt Subſtantia;
1. *ba* Omnis Homo eſt animal.
ri. *Ergo* aliquis Homo eſt Subſtantia.

Ce Nullum animal eſt lapis;
2. *la* Omnis Homo eſt animal:
bo. *Ergo* aliquis Homo non eſt lapis.

		Ba	Omne animal eſt Subſtantia ;
	1.	*ra*	Omnis Homo eſt animal :
phE.		*lip.*	Ergo aliqua Subſtantia eſt Homo.
		Ce	Nullum animal eſt lapis ;
	2.	*lan*	Omnis Homo eſt animal :
bI.		*tes.*	Ergo nullus lapis eſt Homo. ⟨ Ergo aliquis lapis non eſt Homo.
		Da	Omnis Homo eſt rationalis ;
	3.	*bi*	Aliquod animal eſt Homo.
fEr.		*ti.*	Ergo aliquod rationale eſt animal.
		Fa	Omnis ſpiritus eſt Subſtantia ;
	4.	*pes*	Nullum corpus eſt Spiritus :
Ax-		*mo.*	Ergo aliqua Subſtantia non eſt Corpus.

		Fri	Aliquis Spiritus eſt Subſtantia ;
	5.	*ſe-*	Nullum Corpus eſt Spiritus ,

		Fri	Aliquis Spiritus est Substantia ;
	5.	*se.*	Nullum Corpus est Spiritus ,
Is.		*som.*	Ergo aliqua Substantia non est Corpus.

57. *Modi directi Secundæ Figuræ.*

		Ce	Nullum lignum est animal ;	
	1.	*sa*	Omnis Homo est animal :	Ergo aliquis Homo non est lignum.
O-		*re.*	Ergo nullus Homo est lignum.	Ergo nullum lignum est Homo.
				Ergo aliquod lignum non est Homo.
		Ca	Omnis Homo est animal ;	
	2.	*mes*	Nullum lignum est animal :	Ergo aliquod lignum non est Homo.
bIt.		*tres.*	Ergo nullum lignum est Homo.	Ergo nullus Homo est lignum.
				Ergo aliquis Homo non est lignum.
		Fes	Nullum lignum est animal ;	
	3.	*ti*	Aliquis Homo est animal :	
tKr-		*no.*	Ergo aliquis Homo non est lignum.	

		Ba	Omnis Homō eſt ānimal ;
	4.	*ro*	Aliquod lignum non eſt animal,
vAm.		*co.*	*Ergo* aliquod lignum non eſt Homō.

58. *Modi directi Tertiæ Figuræ.*

		Da	Omne animal eſt Senſitivum ;
	1.	*rap*	Omne animal eſt Corpus ;
ſpbE-	1.	*ti.*	*Ergo* aliquod corpus eſt Senſitivum. ⟨ *Ergo* aliquod Senſitivum eſt corpus
		Fe	Nulla planta eſt ſenſitiva ;
	2.	*lap*	Omnis planta eſt Corpus :
vAm-		*ton.*	*Ergo* aliquod Corpus non eſt ſenſitivum.
		Dis	Aliquod animal eſt Homo ;
	3.	*a*	Omne animal eſt Subſtantia :
quE.		*mi.*	*Ergo* aliqua Subſtantia eſt Homo. ⟨ *Ergo* aliquis Homo eſt Subſtantia.

		Da	Omne animal eſt Subſtantia ;
	4.	*ti*	Aliquod animal eſt Corpus ;

quE. mi. Ergo aliqua Subſtantia [illegible]

		Da	Omne animal eſt Subſtantia ;
	4.	ti	Aliquod animal eſt Corpus :
quO.		ſi	*Ergo* aliquod Corpus eſt Subſtantia. ⟨ Ergo aliqua Subſtantia eſt corpus. ⟩
		Bro	Aliquis lapis non eſt Silix ;
	5.	car	Omnis lapis eſt Corpus :
tAn.		do.	*Ergo* aliquod Corpus non eſt Silix.
		Fe	Nullum animal eſt lapis ;
	6.	ri	Aliquod animal eſt Corpus ;
nIs.		ſon.	*Ergo* aliquod Corpus non eſt lapis.

§. 8.

Regulæ Syllogismorum Perfectivæ.

59. SYllogismus est duplex; *Perfectus* est, qui *nullius eget, ut ejus consequentia appareat manifesta*; ratio est, quia immediatè regulatur per *Dici de omni*, vel *Dici de nullo, Prioristicis*; & tales sunt quatuor directi primæ figuræ *n.* 54. Ubi fit immediata applicatio eorum quæ affirmantur, vel negantur de medio, ad contenta ad vel contentum sub ipso.

60. Syllogismus *imperfectus* est, qui *probatione eget, ut vis consequentiæ ejus manifestè appareat*, eo quod tantum *mediatè* reguletur per *Dici de omni*, & *Dici de nullo, Prioristicis*; & tales sunt omnes alii modi, qui proinde egent *Reductione* ad perfectos, ad ostendendam consequentiæ evidentiam quietativam.

61. Reductio est duplex sc. *Ostensiva*, & *Ad impossibile*. *Prima* est, quâ Syllogismus imperfectus, reducitur ad modum Perfectum, de eadem literâ initiali; *B. C. D.* vel *F.* ut *Baralip.* ad *Barbara, Celare* ad *Celarent* &c. idque vel per propositionum *Conversionem* vel per Præmissarum *transpositionem*, secundum *Consonantes* quasdam in iis vocibus repertas; pro quibus inservit Hæc *Regula*,

S. vult *simpliciter* verti; *P.* verò per *Accid.* *M.* vult *transponi*; *C.* ad *Impossibile duci.*

62. Ubi *S.* significat, *simplicem* Conversionem

nem Propositionis immediatè antecedentis; *P.* significat ejusdem Conversionem *per Accidens*; *M.* significat Præmissarum *transpositionem*; *C.* verò intra dictionem, significat Syllogismum tantum *ad Impossibile* esse reducendum; sic *Fapesmo* reducitur ad *Ferio*, ut notat litera *F.* Primò convertendo majorem per accidens, ut notat litera *P.* Secundò convertendo minorem simpliciter, ut notat litera *S.* & tandem Tertiò transponendo Præmissas, ut notat litera *M.*

63. Fundamentum bonæ reductionis est hæc *Regula*; *quicquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ, sequitur ad antecedens ejus*; Si ergo ex convertente sequatur conclusio perfecta; etiam conclusio sequetur ex imperfectâ convertî, ex quâ convertens legitimè infertur per regulas Conversionis, c. 2. à n. 67.

64. *Reductio ad Impossibile* est, quâ Syllogismus imperfectus ad perfectum reducitur, pro quanto assumitur tanquam præmissa, propositio contradictoria conclusionis negatæ, ad deinde inferendum contradictoriam, vel contrariam alterius Præmissæ, quæ prius fuit concessa.

65. Fundamentum ejus est, hæc regula, *si consequens est falsum, ejus contradictorium est verum*, ex c. 2. n. 50. Ad oppositum enim consequentis, sequitur oppositum antecedentis ex n. 13.

66. Porro, stant sequentes *Regulæ* pro reductione ad impossibile, modorum cujusque figuræ.

67. Prima Regula pro indirectis primæ Figuræ.
Major fit Minor, fit contradictio Major.
Excipe *Celantes*, in quo convertitur Ordo.

Secunda Regula pro directis, Secundæ.
Servat Majorem, variatque Secunda Minorem.

Tertia Regula pro Indirectis, Secundæ.
Majoris loco ponit Secunda Minorem.

Quarta Regula pro directis, Tertiæ.
Tertia Majorem variat, servatque Minorem.

Quinta Regula pro indirectis, Tertiæ.
Tertia constituit Majorem in sede Minoris.

68. Regula Generalis: *Modus imperfectus indirectus in Primâ Figurâ, & directi in Secunda & Tertia, semper reducuntur ad impossibile, ad modum Perfectum, de conclusione contradictoriâ præmissæ rejectæ*; præter *Baralip*, *Fapesmo*, *Darapti* & *Felapton*, quæ ad *Contrariam*.

69. Quod etiam subsequens versus ostendit; quis sc. eorum ad quem reducitur; assignando cujusvis Modi reducibilis conclusioni, unam ejus Syllabam, incipiendo à *Baralip*:

phEbIfEr, AxIs, ObIt tErrAm sphErAmquE quOtAnnIs.

70.

70. Nam ly phE significat *Baralip* reduci ad perfectum, de Conclusione universali negativa, & sic deinceps.

71. Promptior verò est hæc *Regula*, in qua, Modi sub vocali determinata contenti, reducuntur ad Syllogismum concludentem juxta quantitatem ea significatam, juxta regulam, *Assensit* A. c. 2. n. 69.

A. *Fapesm: Baroc: Felaptonque Brocardo.*
E. *Baralip: Dabitis, Disamis, Festino, Darapti:*
I. *Celant: Ferisesom, Camestresque Ferison.*
O. *Cesare, Datisi*; sic sit Reductio ad Impossi.

72. Sic, Hic Syllogismus in *Barlip*: *omne rationale est risitivum, omnis Homo est rationalis; ergo aliquod Risitivum est Homo*, reducitur ad *Celarent*, quia ly phE. ei correspondet n. 56. Et ex n. 71. dicitur E. *Baralip*: Proinde reducitur secundum Regulam, *Major fit Minor, fit contradictio Major*, inferendo conclusionem universalem negativam; *Nullum risitivum est Homo, omne rationale est risitivum; ergo Nullum rationale est Homo.*

§. 9.

Quotuplex Syllogismus Categoricus?

73. Syllogismus Categoricus est, vel *Communis*, cujus omnes Termini sunt communes, ut *omne animal est Substantia, omnis*

Homo est animal, ergo omnis Homo est Substantia.

74. Vel *Expositorius*, cujus Medium est terminus singularis, *omnino incommunicabilis* ex *Scot.* 1. *d.* 2. *q.* 7. *n.* 47. Adeoque termini absoluta significantes in Deo, hic media esse non possunt, quia communibus æquivalentia, ut *Scot.* 1. *Prior. q.* 7. *n.* 6. Unde expositorius perfectè regulatur per Regulam, *Quæ sunt eidem, &c. n.* 31. sitque melius in Tertiæ figurâ, ubi Medium subjicitur, quod est próprium terminorum singularium, ut *hic Homo est albus, hic Homo est animal*, ergo *hoc animal est album.*

75. Vel *Absolutus*, cujus Medium est terminus communis, extremum autem aliquod est singulare; ut *omnis Homo est animal*, *Petrus est Homo*, ergo *Petrus est animal.*

76. Iterum Syllogismus Categoricus, vel est *Obliquus*, & constat extremo, vel extremis obliquis, concluditque ut Syllogismus de recto, ad quem reducitur; ut *esse virtuosum est esse laude dignum*; *esse temperatum est esse virtuosum*, ergo *esse temperatum est esse laude dignum*; qui sic reducitur, *Virtus est laude digna*, *temperantia est Virtus*, ergo *temperantia est laude digna.*

77. Vel *Modalis*, idque vel de *utraque Præmissâ modali*, quæ si sint de modo *necessario* vel *impossibili*, inferent conclusionem modalem similem, ut *necessario animal est necessario vivens*, *Homo est necessario animal*, ergo *Homo est necessario vivens*; Si verò sint de *Contingenti* in Secundâ figurâ, conclusio semper erit de *Inesse*; unde non valet, *omne animal*

mal esse album est contingens, *nullum Hominem esse album est contingens*, ergo *nullum Hominem esse animal est contingens*; vel de *Majori tantum modali*, qui est communior, & non necessario sequitur Modalis ex *Scot.* 1. *d.* 39. *q.* 5. *n.* 27. Ut *omnem Hominem esse animal est necesse*, *aliquod album est Homo*, ergo *aliquod album est animal*; quod præsertim evidentius est, si Major sit de *inesse*, ut *omne animal est album*, *omnem Hominem esse animal est necesse*, ergo *omnis Homo est albus*.

78. Vel est *Exponibilis*, ut *Tantum Rationale est Risitivum*, *tantum Homo est rationalis*, ergo *tantum Homo est Risitivus*, estque virtualiter Hypotheticus ex *c.* 2. *n.* 85.

79. Quia verò Syllogismi divisio in tres figuras, sumitur penes diversam medii habitudinem, ad quem sequitur diversitas judicii illativi, *divisio Syllogismi penes tres figuras erit essentialis*. Similiter *Divisio Syllogismi in Demonstrativum*, *Topicum & Sophisticum*; quia actus specie differunt, penes objecta circa quæ versantur; talia sunt materia Necessaria, Probabilis & Apparens; ergo.

80. *Divisio* autem *in Modos*; *erit* omnino *accidentalis* ex *c.* 2. *n.* 23. Quia præcise oritur ex parte quantitatis, nisi etiam adsit diversitas quoad affirmationem vel negationem conclusionis illatæ.

§. 10.

Quotuplex Syllogismus Hypotheticus?

81. SYllogismus *Hypotheticus* constat ex uno, vel pluribus Præmissis Hypotheticis, estque triplex sc. *Conditionalis*, *Copulativus*, & *Disjunctivus*.

82. *Conditionalis* est duplex, quia vel est *de Toto*, estque quadruplex. Primò, *quo existente, quid est*; ut *si est Homo, est animal*; *si est Philosophus est Homo*; ergo *si est Philosophus est animal*. Secundò, *quo non existente, quid est*; ut *si non est Corpus est Spiritus*, *si est Angelus non est Corpus*, ergo *si est Angelus est Spiritus*; & hi reducuntur ad *Barbara*, sc. *omnis Homo est animal*, *omnis Philosophus est Homo*, ergo *omnis Philosophus est animal*. Verum in secundo debet medium infinitari, ut *omne non Corpus est Spiritus*, *omnis Angelus est non Corpus* ergo *omnis Angelus est Spiritus*.

83. Tertiò, *quo existente, quid non est*; ut *si est Corpus non est Spiritus*, *si est lapis est Corpus*: ergo *si est lapis non est Spiritus*. Quartò *quo non existente, quid non est*; ut *si non est animal, non est Homo*, *si non est Substantia non est animal*, *ergo si non est Substantia, non est Homo*, & reducuntur ad *Celarent*. In Tertio, sic, *Nullum Corpus est Spiritus*, *omnis lapis est Corpus*, *ergo nullus lapis est Spiritus*; in Quarto autem infinitato Medio & subjecto, sic, *nullum non animal est Homo*, *omnis non Substantia*

stantia est non animal, ergo nulla non Substantia est Homo.

84. Vel est *Conditionalis*, tantum ex *Parte*, quia Major est Conditionalis, & est duplex: Primus est à *Positione Antecedentis ad Positionem consequentis*, ut *si est Homo est animal, Philosophus est Homo, ergo est animal*; & si Minor sit de subjecto Communi, reducitur ad *Barbara*, ut *omnis Homo est animal, omnis Philosophus est Homo, ergo omnis Philosophus est animal*; Si autem subjectum Minoris sit Terminus Particularis, reducitur ad *Darii*, ut *omnis Homo est animal; aliquod currens est Homo, ergo aliquod currens est animal.*

85. Secundus est, *A destructione Consequentis ad destructionem Antecedentis*, ut *si non est animal, non est Homo, lapis non est animal, ergo lapis non est Homo*; & si subjectum sit terminus communis, reducitur ad *Celarent*; si Particularis, ad *Ferio*, medio utrimque infinitato, ut *nullum non animal est Homo, omnis lapis, vel aliquod currens, est non animal, ergo nullus lapis est, vel aliquod Currens, non est Homo.*

86. Syllogismus *Copulativus*, de signo Copulativo copulativè tento (de quo 6. 1. n. 63.) Est duplex, *Affirmativus* est, quando Particula Copulativa affirmatur, ut *& omnis Homo currit, & omnis equus currit*; *Petrus est Homo, & Bucephalus est equus*, ergo *Petrus currit & Bucephalus currit*; & continet duos Categoricos Syllogismos in *Darii*.

87. *Negativus* est, ubi assumitur affirmativa, ad concludendum negativè aliam partem majoris prædicati infinitati; ut *non & Homo currit,*

& non currit, atqui *Petrus currit*, ergo non *est non currens*; & reducitur ad *Ferio*, ut nullus *Homo currens est non currens*, *Petrus est Homo currens*, ergo *non est non currens*.

88. Dixi *Copulativè tento*, si enim dictio copulativa teneatur *copulatim*, (de quo loc. cit.) Medium copulatum debet *copulatim* repeti in minori, ne sit *fallacia divisionis*, transeundo à sensu composito vero, ad divisum falsum, de quo *l. 2. c. 3. n. 14.* Ut *A & B sunt duo*, *hic & ille sunt A & B*, *ergo hic & ille sunt duo*; non enim bene assumeretur; atqui *hic est A*, *& ille est B. ergo hic est duo*, *& ille est duo*; est enim *fallacia Divisionis*.

89. Huc spectant Syllogismi à *Pari*, à *Proportione*, à *Loco*, à *Tempore &c.* Ut *omnis Homo est per accidens albus & similiter omne Brutum*, atqui *Petrus est Homo*, *& Equus est Brutum*, ergo *Petrus est per accidens albus*, *& similiter equus est albus*; simili modo arguitur cum dictionibus, *æqualiter*, *hic*, *nunc*, *&c.*

90. Syllogismus *disjunctivus* est de signo disjunctivo, *disjunctivè tento*, (de quo *c. 1. n. 63.*) Est duplex; vel enim est cum sufficienti partium enumeratione, constructivus unius à destructione cæterorum, ut *est Rationale*, vel *est irrationale*, atqui non est rationale, ergo est irrationale; vel est sufficienter enumeratis partibus, destructivus à constructione, ut *est Æger vel sanus*, *est Æger* ergo *non est sanus*. Reducuntur ad modos perfectos, assumendo Maximam ab oppositis, *opposita immediata non simul insunt eidem*.

91. Dixi, *Disjunctivè tento*, Si enim Particula Disjunctiva teneatur *disjunctim* (de quo loc. cit.

tui, &c.) Medium Disjunctum debet *Disjunctim* repeti in minori, nè committatur *fallacia Compositionis*, transeundo à sensu confuso vero, ad determinatum falsum, ut *hic vel ille calamus est ad scriptionem necessarius; A. & B. sunt hic vel ille*, ergo *A. vel B. est necessarius*, non enim rectè assumitur, *atqui A. est hic, & B. est ille*; ergo *vel hic est necessarius; vel ille est necessarius*; vel sic, *atqui hic non est necessarius*, ergo *ille est necessarius ad scriptionem*; est enim *fallacia Divisionis*, de quo *l. 2. c. 3. n. 14.*

92. Huc quoque spectat *Dilemma*; quod est *Argumentatio bicornis*, qua respondens cogitur Propositionem aliquam assertam vel negatam retractare; quomodo dicens *se totâ horâ fuisse in foro, neque vidisse histrionem tunc Agentem*, sic convincitur, *egit tunc*; ergo *vel non fuisti, vel vidisti.*

93. Porrò, cum Propositiones Categoricæ & hypotheticæ *specie differant, ex c. 2. n. 34.* etiam *Syllogismi ex iis constantes*, ut materia proxima, similiter distinguentur; esto nullus Hypotheticus evidenter concludat, quoad quietationem intellectus, nisi ad Syllogismum Categoricum reductus.

---

§. 11.

Inventio Medii Syllogistici.

94. ARS *inveniendi Medium* Syllogisticum; est modus idealiter ostendens, quo pacto extrema per negationem disjuncta copulentur;

rur: dicturque *Pons*, quòd sicut Pontè ripa fluminis, sic medio extrema, per negationem interclusa, uniantur; dicitur quoque *Asinorum*, quia ex l. *Post* 27. eâ arte, solertes à tardis discernuntur.

95. Regula Generalis; *Universaliter ad concludendum affirmativè, medium debet unique extremo identificari; Ad negativè* verò, *unum cum altero*; patet ex principio, *Quæ sunt eidem* &c. *n.* 31.

96. Regula prima specialis; *Ad concludendam universalem affirmativam, medium debet esse consequens Subjecto, & antecedens vel convertibile cum Prædicato; similiter ad concludendam particularem affirmativam*; ut *animal* vel *rationale* respectu *Hominis & Substantia*. Excipe *Tertiam Figuram directam*, in qua debet esse *antecedens subjecto*, & *consequens* vel *convertibile* cum Prædicato; ut *animal* vel *rationale*, respectu *Substantiæ* & *Hominis*, patet in exemplis allatis à *n.* 54.

97. Regula secunda specialis; *ad concludendam universalem Negativam indirectè in* Camestres, *& directè in aliis modis, debet medium esse consequens Subjecto & extraneum Prædicato*; ut *Animal* respectu *Hominis* & *lapidis*; è contra *medium debet esse extraneum subjecto, & consequens Prædicato, quando concluditur directè in* Camestres, *& indirectè in aliis*; ut *Animal* respectu *Lapidis* & *Hominis*. *Ad concludendam* verò *particularem negativam, medium debet esse antecedens Subjecto, & extraneum Prædicato*, ut *Homo* respectu *animalis & lapidis*.

§. 15.

§. 12.

De Modis Sciendi.

98. MOdus seu instrumentum *sciendi est*, vel *Formalis* qui est operatio intellectus exercitè regulabilis, quâ quis rectè scire dicitur; vel *objectivus*, qui est Idea, in actu signatâ, ad quam intellectus respicit, ut *ad regulam*, dum elicit operationes rectas; secundum artem quam quis exercet, sive sit *statuaria*, sive sit *domificativa*, sive quæcunque alia *instrumentaria*.

99. Modus sciendi *objectivus Logicæ*, est *oratio objectiva ignoti manifestativa*, seu est via distinctè cognoscendi, prius solum confusè notum; de quo plura *Disp.* 3. *Log.* est triplex sc. *Definitio*, quæ simplicem Apprehensionem regulat, *Divisio*, quæ judicium; & *Argumentatio*, de quâ hactenus.

100. *Definitio*, vel est *quid nominis*, & vocis *Etymologiam* explicat, ut *lapis* quasi *lædens pedes*; vel *quid rei*, estque terminus objectivus, *essentiam rei* compositivè indicans.

101. Definitio *quid rei* est duplex, *Essentialis* datur per partes essentiales, easque vel *purè* tales; & has, vel *Physicas*, ut *Homo constat ex corpore & anima unitis*; vel *Metaphysicas*, genus sc. & differentiam, ut *Homo est animal rationale*; & convenit solis terminis absolutis, de quibus c. 1. n. 22. Vel *non purè* tales, & dicitur definitio *per Additamentum*, eò quòd adjiciatur aliquid, essentiæ extraneum; licet sit necessarium

tetellarium ad habendum rei conceptum quietativum, ut *anima est actus corporis organici*, &c. Quia non intellecto, *Corpore organico*, quietativè intelligi non potest habitudo, qua Actus qui est anima, differt ab Actibus, quales sunt aliæ Formæ; & solis convenit Connotativa, de quibus *loc. cit.*

102. Definitio *Accidentalis* datur per *extrinseca rei*, estque vel *Descriptiva*, & datur per *genus* & *passionem*, vel aliam rationem qua differentiam essentialem circumscribit, ut *Homo est animal risitivum*; vel *Causalis extrinseca*, & datur per *genus* & *causas extrinsecas*, ut *Homo est animal à Deo creatum, ad vitam æternam*; vel *purè Accidentalis*, & datur per *accidentia per accidens* seu communia, quæ collectim soli conveniunt; quomodo *Forma*, *Figura*, *Locus*, *Stirps*, *Nomen*, *Patria*, *Tempus*, *sunt*, quarum collectio proprietatum, in nullo alio est eadem.

103. Regula. *Omnis bona Definitio*, Primò constare debet ex genere & differentiâ, vel proportionalibus; Secundò debet esse definito notior; Tertiò debet esse cum eo convertibilis, adeoque non diminuta, vel superflua; tunc enim perspicuè rem explicat, eamque ab omni aliâ distinguit.

104. *Divisio totum in suas partes distribuit*, id est, est Terminus objectivus complexus, rei confusionem & multiplicitatem, per suas partes resolutorie explicans.

105. Est duplex; quia, vel *Totius Potentialis* seu universalis in *partes subjectivas*, de quibus prædicatur disjunctim; ut *Hominis* in *Petrum & Paulum*, quia *Petrus est Homo & Paulus est Homo*;

Homo; vel *Totius actualis* in partes actu ipsum *constituentes*; easque vel *essentiales Physicas*, qualis est divisio *Hominis* in *Corpus & animam*; vel *Metaphysicas*; qualis est divisio *Hominis* in *animal & rationale*; vel *integrales*, easque vel *Homogeneas*, seu ejusdem rationis cum toto, qualis est divisio *aquæ* in *guttas*, vel *Heterogeneas*, seu diversæ rationis in toto, qualis est divisio *Corporis organici* in *Caput*, *pedem*, *&c.* vel *subjecti per accidentia*; eaque vel *Realia*, qualis est divisio *Hominum* in *albos & nigros*; vel *Rationis*, qualis est divisio *Substantiæ* per secundas *intentiones* Subjicibilitatis & Prædicabilitatis ex *c.* 1. *n.* 39.

106. Regula, *Omnis bona divisio debet esse*, Primò per membra, quæ seorsim sint divisô minora, collectim autem ei adæquata; Secundò per membra paucissima; Tertiò per propinquiora; Quartò per opposita ut *Scot.* 10. *Met. n.* 80. Tunc enim res conspicuè & completè dividitur.

107. *Distinctio* quoque rei pluralitatem explicat, de quâ plura dicenda sunt per totam *disp.* 4. *Log:* est autem *Distinctio*, *aliquorum non identitas*; & vel reperitur præter intellectum, seu *ex naturâ rei*, vel est per intellectum seu *Rationis*.

108. Distinctio ex *naturâ rei*, vel est *Realis*; quæ est inter rem & rem, ut inter *Petrum* & *Paulum*; vel *rem* & *Modum extrinsecum*, ut inter *Petrum* & ejus *ubicationem* situalem; vel est *Formalis* seu *media*, quia est à parte rei, & tamen versatur inter *plures ejusdem rei Formalitates*, ut inter *animalitatem* & *rationalitatem* Hominis singularis.

109.

109. Distinctio *Rationis*, vel est Rationis *Ratiocinatæ*, habetque esse in re fundamentaliter seu *virtualiter* solum, *actualiter* vero per intellectum; qualis versatur inter rationes *constitutivi* & *Distinctivi* in differentia Metaphysica; vel est Rationis *Ratiocinantis*, & gratis ab intellectu inducitur, quia caret omni fundamento à parte rei; ut dum dicitur *Petrus est Petrus*, ubi *Petrus* secundum intentionem secundam *Subjecti*, distinguitur à se, ut Subsistat, secundæ intentioni *prædicati*.

110. *Methodus* quoque in Scientiis confusionem tollit, estque vel *Formalis*, quæ est actualis & exercitus Progressus, conformiter ad certas Regulas intellectui propositas; vel *objectiva*, estque Idea seu Regula, secundum quam in actu Signato apprehensam, in Scientiis tradendis progredimur, & dicitur *Ordo Doctrinæ*.

111. Hic autem *Doctrinæ Ordo*, universaliter talis esse debet, ut intellectum nostrum, in addiscendo unum post aliud faciliter; sive is sit conformis rerum naturis in *essendo*; quomodo *communiora sunt naturæ notiora*; sivè non, ut in Scientiis *experimentalibus*, à posteriori & per sensum *nobis*, sive sit *Compositivus* è partibus & definitivè; sive *Resolutivus* in partes & divisivè; idque tam in *Theoricis*, seu causa sciendi, quam in *Practicis*, seu *gratia operis*.

112. Regulariter autem *Ordo Doctrinæ Compositivus est præstantior*, quando partes, è quibus res est, facilius innotescunt; an verò *Expositivus* vel *Tractativus*, vel ex utroque *Mixtus* sit observandus, non refert, licet Tractativus modo sit usitatior.

113.

113. *Methodus* demum *Scholasticarum Exercitationum* ad modum sciendi, seu addiscendi spectat, & confusionem tollit.

114. Fit autem exercitatio Scholastica duorum inter se pro veritate eruenda disceptatio; unus dicitur *Disputans*, alter *Propugnans*.

115. *Disputans*, invento medio, argumentum clare & succincte proponat, frequentius in forma *Enthymematis*, quia brevior, & majorem gerit difficultatem, ob latentem vim illationis. Post tertium vel quartum *Enthymema*, audeat Argumentum ad Formam Syllogisticam reducere, ut Adversarius magis confirmetur.

116. Impugnaturus Conclusionem, semper inferat oppositum ejus quod propugnatur, per causas proprias, vel *concomitantia* ipsas, vel reducendo ad *impossibile*; adeoque ambages vitet, neque probationem per ignota, vel in terminis Synonimis aut æquivalentibus tantum, prolequatur.

117. Negatam quoque Probationem sic probet, quod *propositio Negata*, sit Conclusio, in Probatione inferenda. Distinctam, sic impugnet, quod vel Probatio directè militet contra eam partem distinctionis, quæ Conclusionem falsat; vel ostendatur distinctionem esse inutilem, vel in se, vel ad Argumenti solutionem; vel si obscura sit, petat *explicationem* Terminorum distinctionis, ut partem contra se, ad sensum Adversarii impugnet.

118. *Propugnans* Argumentum propositum fideliter de verbo repetat, ad quod juvat observare *terminum medium*, eum, sc. qui Conclusionem non ingreditur; neque in prima repeti-

repetitione, tam ad ſenſum, quam verba attendat.

119. In Secundâ *Repetitione* attendat ad veritatem Præmiſſarum in ſe, & quoad vim conſequentis illativam; Si ſit Syllogiſmus, *Majorem* vel *Minorem* veram concedat; falſam, neget; tantum apparentem, diſtinguat; detegendo primò *Sedem fallaciæ*, tum gradum; non Probativam intenti; *Tranſeat*: ſimiliter dicendum de Antecedente ſi ſit *Enthymema*; tùm autem ſuæ Concluſionis propugnandæ; vel ſui ad Improbationem Reſponſi, rationem reddat.

120. Si Conſequens verum ſit, concedat *Conſequentiam*; Si falſum, neget *Conſequentiam*; Si apparens tantum, diſtinguat, non *Conſequentiam*, quæ eſt illatio; ſed *Conſequens*, quod ſubſtat illi Illationi paſſivæ è præmiſſis; ſi autem diſtinctâ aliquâ Propoſitione, alia de termino eodem aſſumatur vel inferatur, diſtinguatur Minor vel conſequens ad *ſenſum Majoris*, *Minoris* vel *Antecedentis*, prius diſtincti; curetque ſemper, quòd extrema diſtinctionis proximè appellent terminum, ratione cujus propoſitio tota diſtinguitur.

121. Dum Argumentum conſtat Hypothetica Conditionali, cauſali vel Rationali de quibus *c. Secundo, à n. 36.* Si falſa eſt Propoſitio, non negetur ſimpliciter, ſed negetur *ſequela* Majoris vel Antecedentis,

122. Dum totum Argumentum conceditur, & *Diſputans*, aſſumit Propoſitionem ad aliquid inferendum, ſi ea Propoſitio ſit neganda, negetur

negetur *Assumptum* : dum autem immediatè aliquid ex *consessis* infert, si negandum sit, negetur *Illatum.*

123. Si objiciatur *Authoritas*, quæ negenda non est à *Propugnante*, dicat *Admitto Authoritatem*, *& explico*; explicetque cum *Distinctione*, quæ *Conclusionem* non invalidet. Cætera sub usu occurrent.

LIBER II.

De Materia Syllogismi.

1. Syllogismus ex parte *Materiæ*, *circa quam* versatur, seu *in quâ* sit, est triplex, & specie distinctus ex, *l.* 1. *c.* 3. *n.* 79. *Demonstrativus* est, qui sit in Materiâ *Necessariâ*; *Topicus*, qui in Materiâ *Probabili*; & *Sophisticus*, qui in Falsâ *apparenter verâ*; quia verò *Demonstrativus* est nobilior & usitatior, idcirco primò agendum de *Demonstratione*.

CAPUT

CAPUT I.

De Demonstratione.

§. 1.

Quid, & Quotuplex Præcognitio, & Præcognitum?

1. *Omnis Doctrina discursiva* ex 1. *Post.* 1. Est *ex Cognitione præexistente*, id est, omnis Cognitio Conclusionis demonstrativè fiatæ, præsupponit cognitionem Præmissarum, quam Conclusionem inferentium; adeoque de quibusdam ut demonstrationi actuali *Præcognita*, haberi debent certæ quædam *Præcognita.*

2. Est autem *Præcognitio* duplex; *Formalis*, et ipsa *cognitio Intellectus*, prærequisita de *aliquo* ante Demonstrationem; *Objectiva* est *Modus Idealis* secundum quam, intellectus illud *aliquid* præcognoscit.

4. Præcognitio *objectiva* est duplex, *An sit?* & *Quid sit?* An sit? est duplex, sc. *An sit simplex?* & quærit *existentiam* in rerum naturâ, *actualem* vel *aptitudinalem*, seu *non Repugnantiam*; & *An sit Complexum?* & inquirit Propositionis *veritatem*, id est Conformitatem ad rem *prout est in se*, ex *l.* 1. *c.* 2. *n.* 15.

5. Quid sit? est duplex, vel enim quærit *Quid sit Nominis?* & quærit, quæ sit vocis *Interpre-*

pretatio, seu quæ sit ejus in activa significatione Proprietas? vel *Quid sit rei?* & quærit, quæ sit rei per vocem significatæ *Essentia*, quidditas seu ratio formalis, de quibus *l.* 1. *c.* 3. *n.* 101:

6. *Præcognitum* est id, *de quo* præfatæ quæstiones instituuntur, ut conformiter ad ipsas, tanquam *Ideas* & Regulas formalium Præcognitionum, de ipso aliqua habeatur notitia, ante *Demonstrationis* ingressum. Est triplex, *Subjectum, Prædicatum & Præmissæ.*

7. *Subjectum* est *minor extremitas* in Præmissis, & in Conclusione *subjicitur*; de quo, ab intellectu apprehenso, Primo quæritur ex *Scot.* 1. *Post. q.* 7. *n.* 2. *An sit simplex?* seu an habeat actualem existentiam, quæ vocatur *Esse Participialiter*; an saltem non habeat repugnantiam ad existendum, quæ dicitur *Esse nominaliter.* Secundo quæritur, *Quid nominis?* quia enim vocibus utimur, ut Signis earum rerum, quas mente apprehendimus, ideo perpensâ proprietate rei in essendo, inquiritur quo nomine magis doctrinaliter res illa significetur? Tertio quæritur, *Quid rei?* hoc enim in demonstratione potissimâ est medium, per quod de subjecto aliquid scitur, seu demonstratur.

8. *Prædicatum* seu passio est, *Major extremitas* in præmissis, & in conclusione *prædicatur*, ac per *Quod quid ejus* subjecto inesse demonstratur; de quo proinde ex Scot. *cit. q.* 6. *n.* 2. Non quæritur an sit simplex, quia ejus *esse* est Subjecto inesse, quod per demonstrationem concluditur; neque etiam præscitur *quid rei distincte*, quia ex dicendis *n.* 23. Subjectum

cadit

cedit de ejus definitione, quod autem tale habeat subjectum, scitur per demonstrationem; prius sciri ergo debet tantum *Quid nominis?* seu quo nomine aptius vocetur; juxta ejus in mente apprehensæ proprietatem.

2. *Præmissæ* sunt Propositiones ex quibus conclusio per demonstrationem infertur; proinde hic accipiuntur *Primo intentionaliter*, sc. pro aggregato, ex subjecto, Prædicato & copulâ; ideoque de ipsis non quæritur *an sit simplex?* neque per consequens *quid rei?* solæ enim res simplices habent definitionem essentialem; quæritur tamen, *an sit complexum?* seu an sint propositiones *veræ?* per Conformitatem ad rem à parte rei; *An necessariæ?* seu de objecto non potente aliter se habere; & *An evidentes?* per inspectionem ipsorum terminorum, quibus eæ Propositiones constant; quia Conclusio, de quâ per demonstrationem inquiritur, ex Præmissis suam habet mediatam *veritatem*, *necessitatem*, ac *evidentiam*.

---

§. 2.

Quis Effectus Demonstrationis?

1. EX naturâ scientiæ, quæ est proprius demonstrationis effectus, colligit Ar. 1. Post. 2. Ipsius Demonstrationis *naturam* & *conditiones*; Scientia autem secundum Scot. 3. d. 24. q. 13. sumitur *triplicitèr*, primò pro notitiâ *simpliciter* ad unam contradictionis partem *adhærente*: qualis potest esse assensus falsus. Secun-

dò pro notitiâ, quâ *determinatè* verum dicimus, licet per motivum quod est veritati cognitæ extraneum. Tertiò pro cognitione *certâ*, *necessarii*, per *medium evidens*, *Syllogisticè applicatum*; & in concreto definitur; *Scire est, rem per causam cognoscere propter quam res est, quod illius est causa & quod non contingit aliter se habere*; unde Scot. *cit. & q. 3. Prol. n. 26.* præfatas quatuor conditiones, Scientiæ strictè dictæ, elicit.

11. Debet esse *Certa*, quia Conclusio debet sciri esse vera, per causam infallibilem; debet esse *Necessarii*, quia de objecto invariabiliter se habente quoad complexionis veritatem, quocunque spectato tempore, ac potentiâ; debet esse *Evidens*, quia per medium intrinsecum scienti conspicuum, quoad connexionem immediatam, cum extremitatibus in præmissis; unde etiam debet medium *Syllogisticè*, quoad figuram & modum debitos, cum iisdem extremitatibus, disponi, ad eam Conclusionem scientificè inferendam, in quâ extrema inter se proximè copulantur, & *certò*, *necessariò* ac *evidenter* copulari intelliguntur.

12. Dari autem hujusmodi *Scientiam*, contra *Sophistas*; eamque de novo acquiri posse, contra *Platonicos*; convincit ratio, secundum Scot. *Prol. Post. n. 2.* Cum conspicuum sit, nos plurium habere notitiam certam, necessariam & evidentem, per causas consimiles, Syllogisticè applicatas, quorum antecedenter, *confusam* tantum & indistinctam notitiam habuimus.

13. *Ignorantia* Scientiæ opponitur; est duplex; *Privativa*, seu puræ negationis, est simplex

plex rei nescientia; oriturque præsertim ex perpetuo defectu unius vel plurium sensuum, mediis quibus, res ad talem sensum spectantes ad intellectum deferuntur. Unde Axioma; *nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*, aliquo sc. modo; quia vel formaliter, vel occasionaliter.

14. *Positiva* & Contraria, seu pravæ dispositionis est, vel judicium positivè erroneum, vel Syllogismi Sophistici Conclusio, è talibus judiciis elicita, quibus intellectus pravè disponitur; quia difformiter ad rem, ut est à parte rei.

---

§. 3.

De Principiis Demonstrationis?

15. P*Rincipium* demonstrationis ex 1. *Post.* 2. est *Propositio immediata*, id est, quæ non potest per priorem à *priori* demonstrari; est duplex, sc. *Dignitas* & *Positio*. *Dignitas* est, quam necesse est omnem addiscentem addiscere; diciturque *primum principium*: ut *impossibile est Idem esse, & non esse simul*: *Positio* est, quæ scientiis determinatis inservit; estque *duplex*, vel enim constat ex subjecti scibilis definitione, ut *Homo est animal rationale*, & dicitur *Propositio per se nota*; vel est *Suppositio*; Hæc autem vel est Suppositio quæ est *simpliciter* talis, qualis esse supponitur, & est Propositio quæ adversario quoque apparet vera, ut *totum est majus suâ parte*; vel est *Postulatio*, quæ à

Disputante petitur, & ab Adversario *gratis* conceditur.

16. Cum autem Principium demonstrationis generet notitiam *certam*, *necessariam* & *evidentem*, ipsum debet esse *certum* & *objectivè necessarium*, ac intellectui *evidens*, adeoque debet esse Propositio de *Omni Posteriorístico*, *per se*, *de prædicato universali secundum quod ipsum*, ac *per se nota*; de quibus conditionibus hic videndum.

17. Propositio de *Omni posteriorístico* est, in quâ Prædicatum convenit *cuilibet* contento sub Subjecto, & pro *omni tempore*; secundum Scot. 1. *d.* 2. *q.* 2. *n.* 5. *&* *d.* 3. *q.* 4. *n.* 14. Per quod differt a Propositione de *omni Priorístico*; hæc enim cum solum ordinetur ad formam Syllogisticam, tantum petit *universalitatem suppositorum*, quæ signo universali significatur, ut *omne album currit*; illud autem, quia dicit ordinem ad necessitatem materiæ, etiam requirit *universalitatem temporis*, licet neutrum a liquo signo exprimatur, ut *Homo est animal*, *Rationale est risivum*.

18. Propositio *Per se*, est in quâ prædicatum *per se dicitur* de subjecto, in Prædicatione naturali: ut *Homo est animal*, *intellectus intelligit*; est autem *Regula generalis secundum* Scot. *cit.* *&* 2. *d.* 3. *q.* 4. *n.* 7. *&* 3. *d.* 7. *q.* 1. *n.* 7. *&* *d.* 22. *n.* 19. *&* 4. *d.* 11. *q.* 3. *n.* 52. *&* *quodl.* 13. *Aa.* quod *nulla Propositio sit per se*, *quando alterum extremum est ens impossibile*, *vel per Accidens*; unde hæ non sunt per se, *vivens est Corpus Spirituale*; *Homo albus est animal*; cujus ratio est, quòd ratio in se falsa & per accidens, est tale, ad quicquid comparetur,

eo

eo quòd comparatio, ejus rationem intrinsecam non tollat; adeoque de *Impossibili* nihil fit ut *possibile*, neque de *per accidens* dicitur aliquid *per se verum*: Si autem Prædicatum, subjecti naturam explicet, per *analogiam* & imitabiliter, erit *per se*; ut *chymæra est ens fictum*, *Homo albus est ens per accidens*.

19. Propositio *per se* est *quadruplex*. *Primus modus per se*, est quando *Prædicatum est de essentiâ Subjecti*, habetque *quinque gradus*.

20. Gradus *primus* est, quando Definitio purè essentialis prædicatur de definito; ut *Homo est animal rationale*. *Secundus* est, quando pars tantum ejus prædicatur, ut *Homo est animal*, *est Substantia*. *Tertius* est, quando definitio Superioris prædicatur de interiori, vel ejus definito, ut *animal rationale*, vel *Homo*, *est vivens sensitivum*. *Quartus* est, quando modus rei intrinsecus de suo prædicatur modato ut Scot, *Quodl.* 5. *B.* ut *Deus est ens esse esse*, *Homo est tantæ perfectionis gradus in suo ordine*.

21. *Quintus* gradus est Propositionum, *relativè solum* huc spectantium, ut sunt *Prædicationes identicæ* ex Scot. *l.* 1. *Post. q.* 19. *n.* 2. ut *Homo est Homo*, ubi Prædicatum est maximè idem, subjecto; similiter Prædicatorum *universalium de singularibus*, ut *Petrus est Homo*, quia subjectum includit rationem formalem, inhærentiæ prædicati; item *propositiones negativæ*, in quibus prædicata, per se primò convenientibus repugnantia, negantur de subjecto, ut *Homo non est Brutum*; licet enim hæc prædicata non sint essentialia *constitutivè*, sunt tamen essentialia *consecutivè*, & dependenter

denter ab affirmativis ex Scot. 1. *Post. q.* 21. *n.* 3.

22. Porro *genus* de *differentiâ* contrahente, & *Differentia superior* de *Inferiori* prædicatur omnino *per accidens*; non quidem *Metaphysicè* & ratione Prædicati seu inhærentis, *sed Logicè* & ratione Modi prædicandi, seu inhærentiæ ut Scot. 3. *d.* 7. *q.* 1. *n.* 7. Eo quod prædicatum sit extra quidditatem subjecti; unde in hâc *omnis Homo est per se animal, omnis Homo est per se rationalis, ergo aliquod rationale est per se animal*, consequentia non est bona, in sensu formali; sed in Materiali & Identico solum; ratione sc. unionis Extremorum in Medio, idque non sub modo *per se*; quinimo ex Scot. 1. *Post. q.* 23. *n.* 13. Est *fallacia Accidentis*, quia Medium sc. ly *Homo* in Majori sumitur pro significato *generico*, in Minori pro *Differentiali*; quomodo licet Homo, *qua habens animalitatem* sit per se animal; & Homo, *qua habens rationalitatem*, sit per se rationalis, non tamen qua habens rationalitatem, est per se habens animalitatem.

23. *Secundus Modus Per se* est, quando *Subjectum est de Definitione Prædicati*, non ut pars essentialis, aliàs Hæc *animal est Homo* esset per se, contra Scot. 1. *Post. q.* 18. *n.* 3. & 4. *d.* 11. *q.* 3. *n.* 52. Sed est de Definitione ejus, *ut additum, dicens necessariam habitudinem* ad ipsum tanquam *Causæ* ad effectum; adeoque non habitudinem causæ *Materialis*; quia Causa Materialis est indifferens ad formam, & ad ejus Privationem, ex Scot. 1. *d.* 3. *q.* 7. *n.* 29. & 2. *d.* 25. *n.* 10. Sed Causæ *Efficientis*, non tamen cujusvis ex Scot. 4. *d.* 13. *q.*

13. q. 1. n. 35. Sed per *Emanationem Metaphysicam ab intrinsecis*, cum Identitate reali; habereque *quatuor gradus*.

24. *Primus gradus* est, quando Passio prædicatur de suo Subjecto adæquato, ut *Homo est Risitivus*; vel de differentiâ Subjecti adæquati constitutivâ, ut *rationale est Risitivum*.

25. *Secundus gradus* est, quando Passio prædicatur de Subjecti sui definitione, secundum Scot. 3. d. 11. q. 3 n. 2. Ut *animal rationale est risitivum*, tunc enim explicitè assignatur Causa inhærentiæ Passionis in Subjecto. *Tertius gradus* est, dum eadem Passio Prædicatur de inferioribus sui Subjecti adæquati, ut *Petrus est Risitivus*. *Quartus gradus* est, dum Passiones Inferiorum, vel Differentiæ divisivæ alicujus, de toto potentiali diviso *Disjunctim* Prædicantur, ut *Numerus est par vel impar*; *animal est rationale vel irrationale*.

26. Regula. *Nulla Propositio Per se, in Primo vel Secundo Modo, potest converti in Propositionem per se ullo modo*, ut Scot. 1. d. 3. q. 3. n. 7. Nulla enim convertens potest includere causam formalem inhærentiæ Prædicati in Subjecto. si Conversa eam includat; sicut enim non est dependentia reciproca quoad esse quidditativum extremorum; sic neque quoad causam formalem verificationis; adeoque convertentes, quoad modum connexionis extremorum, sunt merè per *accidens Logicè*, ex Scot. 4. *Met.* q. 2 n. 5.

27. *Tertius Modus per se* est, modus essendi solitariè, adeoque cum *Negatione associationis* cum alio, ut Scot. q. 4. *Prol.* n. 39. & 1. d. 21. n. 2. Habet *quatuor gradus*.

28.

28. *Primus Gradus* est, essendi per se *simpliciter incommunicabiliter*, tam sc. *ut quod*, & per modum Totius sustentificabilis in alieno individuo vel supposito, quam ut *Quo*, & per modum actus, tam essentialiter quam accidentaliter denominativi; Et est sola Prima Substantia, de quâ *l.* 1. *c.* 1. *n.* 39. *Secundus gradus* est, essendi per se, cum *intrinsecâ sui fixione* intra seipsum, sine dependentiâ ad rem alterius prædicamenti; adeoque cum Exclusione Modi *Essendi in*, & *Dicendi de* alio ut Subjecto inhæsionis, tam *aptitudinè* quam *actu*, ut *omnis & sola Substantia*, tam Incompleta, quam Completa.

29. *Tertius Gradus* est essendi per se *incommunicabiliter*, *ut Quo*, per modum actus, Subjecti *informabilis*, cum quo facit per se unum, non autem per modum actus essentialiter Superioris, Et est *omnis & sola Substantia Secunda completa*. *Quartus Gradus* est, essendi per se *incommunicabiliter*, *ut Quo*, per Modum actus Subjecti *inhæsionis*, licet non aptitudine, ut est *omne Accidens actu* à Subjecto *separatum*.

30. *Quartus modus Per se* est, Modus *per se prædicandi*, fundatus in Modo *per se actualiter causandi*; ut dum Effectus prædicatur immediatè de suâ Causâ extrinsecâ; non quidem sumptus potentialiter, ut *voluntas est volitiva*; hæc enim est in *Secundo Modo* Perfectitatis; sed in *actu exercito*; neque in actu quoad actualitatem existentiæ, effectus enim actualis, quoad esse existentiæ, contingenter unitur suæ Causæ; sed *quoad actualitatem Causationis passivæ*, ex Scot. 9. *Met. q.* 15. *n.* 4. & 3. *d.* 7. *q.* 1. *n.* 7.

Ut

ut *voluntas vult*; quomodo effectus actualis, ut subſtans cauſalitati paſſivæ actuali, habet neceſſariam connexionem cum ſuâ Cauſâ extrinſecâ; habetque *tres Gradus*.

31. *Primus Gradus* eſt, quando effectus egrediens à ſuo Principio extrinſeco immediato, de ipſo immediatè prædicatur, ut *voluntas vult*, *Bonum cognitum allicit*, *Materia Materialitat*, *Forma informat*. *Secundus Gradus* eſt, quando effectus formæ, in genere cauſæ formalis extrinſecæ, dicitur de Subjecto, mediâ ipſâ cauſâ formali extrinſeca, ut *Paries eſt albedine albus*. *Tertius Gradus* eſt, quando actus egrediens è cauſâ formali extrinſecâ, dicitur de effectu formali, mediâ cauſâ formali; ut *Calidum calore calefacit*, *album albedine diſgregat*.

32. *Quatuor* quoque ſunt *Modi per Accidens*. *Primus Modus* & maximè per Accidens eſt, quando Accidens prædicamentale dicitur de ſuo Subjecto contingenti, vel accidente accidentaliter conjuncto, ex Scot. 2. *d.* 37. *q.* 1. *n.* 13. Quò etiam ſpectant omnes Modi prædicandi *per Accidens Logicè*, ut *Cùrrus eſt albus*, *Calix eſt aureus*. *Secundus Modus* per Accidens eſt, quando effectus actualis, ut ſubſtans Cauſalitati paſſivæ, dicitur de ſuâ cauſâ extrinſecâ, ut *Intellectus Intelligit*. *Tertius Modus* per Accidens eſt, quando *eſt Secundum adjacens* dicitur de Accidente, ut *albedo eſt*. *Quartus*, & minimus eſt, eorum quæ prædicantur in *Secundo modo per ſe*.

33. Prædicatum *Univerſale poſterioriſticum* eſt, quod immediatè & adæquatè ſeu convertibiliter, dicitur de Subjecto; ut cum *Paſſio* dicitur

citur de *Definitione Subjecti*; vel *Definitio de Subjecto*; ut *Rationale est risitivum*, *Homo est Rationalis*; unde hæ, *Homo est vivens*, *Homo est animal*; licet de *Omni* & *Per se in Primo modo*, non tamen sunt de *Universali posteriori risitico*, seu de *Omni secundum quod ipsum*.

34. Itaque licet Principium Demonstrationis *à priori*, esse debeat de *Omni*, *Per se* aliquo prædictorum Modorum, & *secundum quod ipsum*; Demonstrationis tamen perfectæ principium primum esse debet in *Secundo Modo per se*, secundum *in Primo*; ut *omne animal rationale est Risitivum*; *omnis Homo est animal rationale*: ergo *omnis Homo est risitivum*.

35 Verum quia ex dictis n. 10. *Scire* strictè, *est rem per causam certas*, *necessarias*, & *evidenter notas*, *cognoscere evidenter*, *medii dispositione*, *in figurâ & Modo perfecto*, *debitâ*; ideo explicanda est natura *Propositionis per se notæ*, in quam ultimo resolvitur omnis scientia perfecta.

36. Est autem *Propositio per se nota* ex Scot. 1. d. 2. q. 2. n. 2. *Quæ ex propriis Terminis*, *qui sunt aliquid ejus*, *ut sunt ejus*, *habet evidentem veritatem*; id est, quæ sic est per se, ut *non per aliud* evidens; quia præcisè, intellectu terminos apprehendente, evidenter videtur eorum unio, eo præcisè modo, quo Propositionem componunt; adeo ut, si aliquis terminus, tantum *confusè* significans, sit Propositionis extremum, & propositio, sic apprehensis terminis, sine eo quod distinctè cognoscantur, videtur vera, est *per se nota*; sic tamen, quod eadem quoque sit *per se nota*, termi-

minino *distinctè* eam rem significante substitutus; licet non è contra.

37. Adeoque contra *Thomistas*, cum definitum *confusè* significans, & definitio *distinctè*, plusquam ratione differant, licet dum Passio dicitur de Definitione, fit Propositio *per se nota*, non tamen dum de Definito; quia demonstrabilis per causam à *Priori in essendo* & in re, & non tantum quoad nostrum *intelligendi modum*, & apud nos; non sic Propositio *per se nota*.

38. Adeoque contra Mayr. 1. *d.* 2. *q.* 1. *a.* 2. Propositiones per sensum vel experientiam notæ indistanter, ut *Ignis calefacit*, *nix est alba*, *ego cogitans*, *ego cognosco &c. Per se* notæ non sunt propriè; licet enim apud nos sint *primò notæ experimentaliter*, termini tamen earum ex propriis eorum rationibus, apti non sint assensum causare, ut neque ullius Propositionis contingentis; sed sunt à priori Demonstrabiles; datur enim causa immediata propria *caloris* in igne, *albedinis* in Nive, *cognitionis* actualis in Rationali existente.

39. Unde etiam contra *Thomistas*, non bene dividi dicitur Propositio *per se nota*, in *per se notam In se*, quæ non habet Medium notificans nimius, bene à posteriori, & quoad nos; & *per se notam Nobis*, quæ à nobis, notis terminis evidenter scitur; hanc autem subdividi in *notam omnibus*, & in notam *solis Sapientibus*; eo modo quo *Boetius* dividit communem animi conceptionem: & Ar. 1. *Top.* 3. Problema; quia hîc præsertim est quæstio de Propositione *objectivâ*, ex Scot. *cit. n.* 3. Quæ terminis apprehensis pro conceptibus objectivis, significatis

citis immediatè per voces, *nata* est habere evidentiam, adeoque esse noscibilis; ac in quovis intellectu terminos apprehendente nata est determinare ad Propositionem *mentalem*, similiter evidentem: quæ tamen, Propositioni *per se notæ*, accidentaliter se habet in intellectu cujusvis; neque est simile de *Conceptibus* & *Problematibus*, quia sunt Propositiones Probabiles solum, non ex terminis notæ, sed per rationes *Topicas* formaliter, conformiter ad earum vim, & inquirentium solertiam.

40. Ex quo etiam constat, contra *Neut.* non bene dividi, in *per se notam naturâ*, & *per se notam nobis*; vel, quod Propositio ex terminis notis distinctè, sit per se nota naturâ, ex terminis confusè notis, ob indistinctionem objectivam, licet non nobis, ob Apprehensiones formales claram & confusam: vel quod Propositio per se nota naturâ, ob non medium petitu, sit non per se nota nobis, ob Medium posterius: quia *Definitio* & *Definitum* præcisiones objectivas important, aliàs esset *petitio principii*, & essent tantum duo termini objectivi in Demonstratione potissima, ut Scot. *cit. n.* 2. Divisio autem Propositionis in *notam naturâ*, & *nobis*, non est *per se notæ*, sed cujusvis, comparativè ad modum, quo à nobis intelligitur.

41. Igitur quando Arist. 1. *Post.* 2. ait, sufficere ad Propositionem per se notam, ipsam, vel esse notam naturâ, vel notam nobis; tantum indicat, duplicem scibilitatis progressum: Primum, Demonstratione *propter quid*, seu per causas, qui est Distinctus ex Scot. 1. d. 3. q. 2. n. 22. Secundum, Demonstratione *quia*, seu ab effectibus, qui est Confusus, adeoque

Ideoque solum vult, omnem nostram Demonstrationem debere esse ex evidenter notis nobis; si enim Principia sint nobis ignota, nihil inde concludi potest; sed tunc vult, quod, vel sint nota secundum ordinem naturæ, seu à *priori*; vel per sensum, & experientiam, seù à *posteriori*, neque aliud vult *Philosophus*.

§. 4.

Quid & Quotuplex Demonstratio?

42. DEmonstratio ex 1. *Top.* 1. est *Syllogismus constans ex Veris, vel Primis, vel talibus, quæ è primis suæ Cognitionis sumpsere originem*; quæ definitio datur per partium demonstrationis subjectivarum enumerationem; & Demonstrationis *propter Quid*, quæ procedit à *Veris*, *Primis*; & Demonstrationis *Quia*, seu quod est, quæ procedit à *Veris*, quæ è Primis Veris *eruuntur*; & per hoc Disjunctum intelliguntur, hæ duæ Demonstrationis, Primæ species.

43. Licet etiam sint, qui per ly ex *veris*, *Primis*, intelligant Propositiones immediatas, in quas sciens per se resolvit ultimò suas Conclusiones; per ly *ex talibus* &c. Propositiones in scientiâ Subalternante Demonstrabiles, quales sunt Præmissæ Scientiæ Subalternæ; de quibus *c.* 21. *Logicæ*. Notat autem Scot. 1. *Post. q.* 11. *n.* 4. Ly *Ex*: vel denotare *Causas Materiales*; quia ex eis Conclusio elicitur; vel causam *efficientem* seu originantem, quia principia

sunt origo Scientiæ; eorumque assensus; assensum Conclusionis, cum intellectu efficit.

44. Demonstratio *propter Quid* est, quæ procedit per *Causam proximam & adæquatam* in suo ordine; & per effectum *finalem* & *formalem*, definitur, *Syllogismus faciens Scire.*

45. Melius quoad conceptum *quietativum*, definitur, per enumerationem conditionum requisitarum ex parte Præmissarum; quòd sit *Syllogismus constans ex Veris, Necessariis, Primis seu immediatis; Notioribus, Prioribus, Causisque Conclusionis*; ut Scot. *cit.*

46. Dicitur Primò *veris*, quia Conclusio est talis; licet enim verum ex falsis Syllogizari possit, non tamen Sciri; verum enim ex falso non sequitur, sub reduplicatione causali, seu probativa Antecedentis; ex *l.* 1. *c.* 3. *n.* 10.

47. Secundò dicitur *necessariis*, quia Præmissæ debent esse *de Omni*, *Per se* aliquo modo, & de *Universali Posterioristico*, ex. *n.* 34.

48. Dicitur Tertiò, *Primis* seu *immediatis*, quia Præmissæ debent esse *per se notæ*, & à priori indemonstrabiles; vel *formaliter* & quoad se, ut in Scientiis perfectis; vel *virtualiter*, ut in Subalternatis, quæ in Sciente coexigunt Subalternantem, à quâ illarum Præmissæ demonstrantur; licet indemonstrabiles à Prioti in ipsâ Subalternatâ.

49. Hæ Conditiones conveniunt *Præmissis*, ut sunt *Propositiones* quædam; Subsequentes iisdem conveniunt, ut ad *Conclusionem* ordinantur; adeoque quà *à priori*, *Scire faciunt.*

50. Igitur quartò, debent Præmissæ esse *Cau-*

sæ

se Conclusionis, non tantum *in Cognoscendo*; Effectus enim potest esse causa inhærentiæ definitionis in definito, in demonstratione, quoad cognoscere *à posteriori*; sed debent esse Causæ Conclusionis *in Essendo*; quomodo includere debent Causam inhærentis seu Prædicati, ac etiam inhærentiæ ejus ad Subjectum; idque vel *formaliter*, si Demonstratio sit per Causam Physicam vel Metaphysicam cum dependentiâ; quomodo *Risitivum* Demonstratur de *Homine*, per *Rationale*: vel *virtualiter*, si tantum per Simplicem emanationem, sine ullâ dependentia; quomodo *Æternitas* Demonstratur de *Deo* per *Immutabilitatem*, à quâ penes nostrum *intelligendi Modum* concipitur. effluere.

51. Hinc Quintò, Præmissæ debent esse *Priores Conclusione*, uti Causa omnis est prior suo effectu.

52. Sextò demum, Præmissæ debent esse *Notiores Conclusione*; secundùm Axioma; *Propter Quod unumquodque tale, & illud magis*; ratio est, cum enim Conclusio sciatur propter Præmissas, ipsæ Præmissæ debent esse magis notæ, quam Conclusio.

53. Igitur, cum *Axioma* illud sit Causale; ad suam veritatem, petit *quatuor conditiones*.

54. Prima est, quod causa sit *per se causa*, eaque *totalis*; unde falsæ hæ, *Sol influit propter Motum*, ergo *Motus magis influit*; *Intellectus intelligit propter speciem*, ergo *Species magis intelligit*; quia Motus non est per se causa, sed tantum conditio prævia, neque Species est totalis vel Principalis causa intellectionis. Secunda est, quod *forma* denominans

effectum talem, *causetur à Causa præcisè, ut tali*; unde falsa hæc, *Paries est albus propter dealbantem*, ergo *dealbans est magis albus*, quia albedo non denominat parietem album, quà à dealbante *inducitur*, sed quâ *inducta* parietem informat.

55. Tertia est, quod *Prædicatum* in quo est Comparatio, *conveniat utrique formaliter*; unde falsa est hæc; *Homo est sanus propter Medicinam*; ergo *hæc est magis sana*; Sanitas enim est in Medicinâ *efficienter*, non *formaliter*. Quarta est, quod *forma in* quâ est Comparatio, *suscipiat magis & minus*, vel quoad *gradum* Entitatis, vel quoad *Modum essendi* independentiùs, unde falsæ hæ, *Petrus est Homo propter Patrem*, ergo *Pater est magis Homo*; *Filius spirat propter Patrem*, ergo *Pater magis*.

56. His Conditionibus observatis, *Regula* præfata tenet in Demonstratione à priori in *omni* genere Causæ; In genere causæ *Efficientis* ut *Aqua est calida*, *propter Ignem*, ergo *Ignis est magis calidus*; in genere *Finis*, *virtus est amabilis*, *propter vitam beatam*, ergo *vita beata magis*; in genere *Formæ*, *aqua calefacit propter calorem*, ergo *calor magis*; in genere *Materia*, *forma est incommunicabilis ut Quo*, *propter materiam*, *in quâ est*, ergo *materia magis*.

57. Demonstratio *Quia* est, quæ *non* procedit per causam proximam & adæquatam in ullo genere; est *triplex*; Prima enim procedit à *Posteriori*, quia procedit ab Effectu ad causam; & tunc vel à convertibili, *Et hæ sese ponunt & tollunt*, quomodo *Rationale* Demonstratur de *Homine* per *Risitivum*; vel non convertibili; & vel ab effectu *excedente* Causam, qualis est

calor

calor respectu *Solis*; & tenet *Negativè*, ut *non est Calor*, ergo *non est Sol*; vel ab effectu *excesso* per causam, ut *respiratio* respectu *animalis*; & tenet *affirmativè* ut *est Respiratio*, ergo *est animal*.

58. Secunda est *à Priori*, quia procedit à Causâ *remotâ* & inadæquatâ, ad suum effectum; & vel à causa *excedente*, ut *est animal* respectu *Respirationis*, & tenet *negativè*, ut *non est animal*, ergo *non est respirativum*; vel à causâ *Excessâ* ad effectum, ut est *Sol* respectu *caloris*, & tenet *affirmativè*, ut *est Sol*, ergo *est calor*.

59. Tertia est, à *Signo* naturaliter & necessariò Conjuncto, & dicitur à *Concomitante* vel ab *Adjunctis*, ut se habent *Risitivum* & *Admirativum*; ut *est Risitivum*, ergo *est Admirativum*, & è contra; *est Approximatio ad passum dispositum*, ergo *est actio*, & contra; & huc spectat *Inductio*, servatis *Regulis* præscriptis *l.* 1. *c.* 3. *n.* 18.

60. Demonstratio *Propter Quid*, *est* duplex. Prima est *Potissima*, quæ est per medium, quod est *Definitio causalis Prædicati*, in Conclusione Demonstrabilis *inesse*; ac etiam *formalis* respectu *Subjecti*, de quo instituitur Demonstratio; sic per *Animal rationale* Demonstratur esse *Risitivum* de *Homine*. Secunda est, *Non potissima*, cujus Medium est quævis alia Causa in suo genere proxima & adæquata, quomodo *esse Corruptibile* Demonstratur de *Homine*, per habere in se causam *Materialem*, ut partem intrinsecè constitutivam.

61. Ex dictis sequitur *Corollarium*, Primò quod Demonstratio *Propter Quid*, quia per

causam adæquatam; Secundò quod *Potissima*, quia per causam perfectissimam; Tertiò quod *Affirmativa*, quia non egens alterius ut sit vera, quo modo eget Negativa ex Scot. 1. d. 13. n. 4. Quartò quod *Ostensiva*, quia ex veris; Quintò, *in Primâ figurâ Directâ*, quia non eget Reductione; Sextò quod in ejus *Primo Modo*, quia concludit universaliter; sit Demonstratio perfectissima, Scientiæ perfectissimæ generativa; & talis est hæc Demonstratio, *omne animal rationale est Risitivum; omnis Homo est animal rationale*: ergo *omnis Homo est risitivus.*

---

§. 5.

De Medio Demonstrationis à Priori.

62. OMnis Demonstratio *à Priori* est per causam, quæ significatur per Terminum *Medium*, quo Demonstratur connexio Prædicati cum Subjecto; & quia de omni prædicato *Scibili*, sunt *quatuor* quæstiones, sc. *An sit? Quid sit? Quale sit?* & *Propter Quid sit?* & omnis quæstio unum quærens, aliud supponat, sc. *Quid Nominis*; omnisque quæstio sit Propositio *dubitabilis*, hinc omnis reduci debet ad *quæstionem de Medio*, per quod quæstio terminetur; illud autem est Causa, per quam res scitur.

63. *Causa* autem est quæ *dat esse rei*, & vel manet intra causatum, & dicitur *intrinseca*; vel *non*, & dicitur *Extrinseca*. Causa *Extrinseca*

sæca est duplex; vel enim est *Efficiens*, quæ est Principium omnis actionis; ut se habet Intellectus, respectu intellectionis, quam producit; vel est *Finalis*, gratiâ cujus, ut allicientis ad agendum, aliquid fit; ut se habet *vita beata* respectu Actionis virtuosæ, & *Sanitas* respectu deambulationis.

64. Causa *Intrinseca* est etiam duplex, vel enim est *Materialis*, estque *ex quâ* res fit, ut Subjecto formam recipiente, ut se habet *Corpus* respectu totius animalis; vel est *Formalis*, quæ dat rei *Esse tale* in actu, ut se habet *anima* respectu animalis.

65. Quævis itaque harum Causarum, potest esse Medium Demonstrationis *à priori*, ut patet in Exemplis datis *n.* 56. In *Potissimâ*, causa Formalis adæquata Subjecti, causalis autem Prædicati, est Demonstrationis Medium *n.* 60.

66. In *non Potissimâ*, quævis Causa adæquata & Immediata in suo genere, est Demonstrationis Medium; licet Causæ assumptæ Definitio, sit semper simul assumenda *formaliter* vel *virtualiter*; ut *Compositum ex Materiâ (quæ est Ens in Potentiâ contradictionis, ad formam, ejusque negationem,) est corruptibile; omnis Homo constat ex materiâ, quæ est tale Ens*; ergo &c.

67. Est & alia Demonstratio, quæ dicitur *Regressus*, qui, Primò procedit *ab effectu ad Causam*, & tum *à Causâ illâ ad Effectum eundum*; estque legitima; quia licet Medium in unâ Demonstratione, sit Prædicatum in aliâ, non tamen proceditur in eodem Demonstrationis genere, sc. utrimque à Priori, vel utrim-

que à Posteriori, sed in diverso; dum enim Probatur, Primò, *Rationale* de *Homine*, per *esse Risitivum*, Processus est à *Posteriori*; dum verò Secundò, *Risitivum* probatur de *Homine* per *Rationale*; Processus Regressivus est à *Priori*.

68. Alia est Demonstratio, quæ dicitur *Circulus*, & proceditur *utrimque*, vel ab Effectu, vel à Causâ. estque vitiosa; sequeretur enim, Causam quæ est Medium in Prima Demonstratione, esse priorem suo Effectu, & in Secunda esse etiam Posteriorem Effectu suo, tam in *Essendo*, quam in *Cognoscendo*.

CAPUT II.

De Syllogismo Topico.

§. 1.

Quid Propositio Probabilis.

1. SYllogismus *Topicus* seu *Dialecticus* est, qui *ex Præmissis Probabilibus*, *colligit Conclusionem Probabilem*; adeoque generat *Opinionem*, quæ est *Notitia intellectualis, alicui objecto complexo adhæsiva, cum formidine de opposito*; ad quam proinde sufficit unam Præmissam esse probabilem, cum Conclusio sequatur partem debiliorem, secundum dicta *l.* 1. *c.* 5. *n.* 39.

2. Igi-

2. Igitur illa *Propositio*, censetur *Probabilis*, quæ *videtur vera omnibus, vel pluribus, vel sapientibus; bisque, vel omnibus, vel Plurimis, vel maximè notis & Illustribus*; id est, Propositio, quæ licet non sit evidens, necessaria vel certa; censetur tamen vera Probabiliter, pro quanto, adhibito prudenti & diligenti Examine, judicatur vera, cum formidine de oppositio, ex eo quod habeat annexum *Judicium*, vel *formale & actuale*, vel saltem *virtuale*, & aptitudinale, quod *vel* objectum possit *aliter se habere*, si fit quid contingens; vel quod *Medium*, movens ad assensum, possit *deficere à Probatione*, quantumvis *Assensus* haberet pro *objecto Materiali*, Quid secundum se necessarium; in alterutro enim casu, habet sic Assentiens, vel actualem formidinem, vel saltem virtualem, *rem posse se aliter habere*, quâ ex eo motivo, ad Judicium eliciendum proceditur; patet in hâc, *omnis mater diligit suum filium*, ergo *Lucretia diligit suum*; quia proceditur ad Conclusionem, in materia contingenti; ac etiam per Medium, quod potest non colligi, viâ *Inductionis*.

3. Aliæ Particulæ indicant *Probabilium Divisionem*; vel enim videntur *veræ omnibus*, sc. Doctis & Indoctis, ut *omnis Homo tandem naturaliter mûrietur*; vel *pluribus* Doctis & Indoctis, ut *Honor est expetendus*; vel *Doctis tantum*, & tunc vel *omnibus*, ut *quod virtus sit præstantior auro*; vel *Pluribus tantum*; sed *illustribus*, ut quòd *detur Distinctio formalis Medii*; quòd *Unicuique in sua arte sit credendum*.

4. Hinc sequitur; *Primo*, Propositiones contradictorias, posse esse respectu diversorum simul

simul Probabiles, quia possunt utræque tam firmis rationibus firmari, quòd apud diversos possint prudenter censeri veræ; licet cum *formidine*, saltem *radicali* de Oppositâ.

5. *Secundò*, Propositionem aliquam *formalem*, non dici Probabilem, eò quòd *Objectiva* aliqua sit à parte rei talis; quia Probabilitates non sunt in rebus, sed in judicio tantum, per ordinem ad motiva probabilia, quibus assensus ad unam contradictionis partem, nituntur, factâ morali disquisitione, pro tollenda ignorantia vincibili.

6. *Tertiò*, Propositionem omnibus certam, nulli esse probabilem actu; quia nullus habet formidinem de veritate contradictoriæ; verum si sit *vulgi error*; neque adhibita *diligenti* investigatione superari potest, quantumvis nullus de illa Propositione actu formidet; tamen, quia res potest *aliter se habere*, vel Medium cui assensus communis nititur, potest *à Probatione deficere*, judicium de ipsâ erit formidolosum & *Topicum*, seu Dialecticum.

---

§. 2.

Materia Topica.

7. MAteria *Syllogismi Topici* est, vel remota, ut *Termini*; vel proxima, ut *Propositiones Dialecticæ*, & *Problemata*, in quibus de iis terminis inquiritur.

8. Termini sunt *quatuor*, sc. *Definitio* de quâ *l. 1. c. 3. n. 100. Genus*, *Proprium* & *Accidens*,

dens, de quibus *l.* 1. *c.* 1. *n.* 33. Et per quæstionem de his, Propositiones illæ solvuntur.

9. *Sufficientia* horum terminorum ostenditur, non quidem ex *modo diverso prædicandi in Quid & Quale*; sed quia, vel Terminus *Topicus* prædicatur *Convertim* vel *Non convertim*, si *convertim*; vel Prædicatur *Essentialiter*, & est *Definitio*; vel *Accidentaliter*, & est *Passio*; si *non convertim*; vel Prædicatur *Essentialiter*, & est *Genus*; vel *Accidentaliter*, & est *Accidens*. Ad Terminum *Topicum Definitionem*, pertinet *Differentia Essentialis*, respectu Speciei quam constituit; Ad *terminum Genus* spectat, *Differentia* & *Species* respectu Inferiorum Speciei, quia habent similem Prædicandi *Modum*.

10. Propositio *Dialectica* ex *modo interrogandi* differt à Problemate; illa enim *unam* tantum quærit contradictionis, de Prædicato *Topico*, partem, eamque vel *implicitè*, ut *utrum Homo sit animal*? vel *explicitè*, ut *utrum animal sit genus Hominis*? *Problema* autem *utramque* partem contradictionis quærit, ut *utrum Homo sit animal, vel non*?

11. Hæ Propositiones dividuntur, vel penes determinatam *Materiam*, *circa Quam* versantur, quomodo dividuntur in *Logicas*, *Naturales* & *Morales*; vel penes *Materiam* remotam, *ex quâ*, ut Prædicatis, constant; quomodo quædam sunt de Prædicatis *convertim*, aliæ de *non convertim* prædicabilibus.

§. 3.

§. 3.

Locus Topicus.

12. Sicut *finis* Syllogismi Demonstrativi est *Scire*, sic Topici est *opinari*; sunt ergo Argumenta quædam *Communia*, quibus intellectus Opinans, tanquam Mediis seu Motivis assensus Opinativi, ad eum generandum assensum, utitur; quæ aptè in *Locos* quosdam *Communes* digeruntur, qui *Loci Topici* & *Sedes* Argumentorum Topicorum, rectè dicuntur; eò quòd inde, Argumenta quædam Probabilia, sed *communia*, ad quæstionem de Prædicato *Topicè* terminandam, eruuntur.

13. *Locus* Topicus dividitur, in *Locum Maximam Topicam*, & *Locum Differentiam Maximarum Topicarum*. Locus *Maxima* est, Propositio universalis valde Probabilis, quæ licet una in *actu signato*, plures tamen *exercitu* Argumentationes involvit; & dicitur communiter *Axioma Topicum*; ut, *De Quocunque dicitur definitio, & definitum*; cui *uni*, hæ nituntur argumentationes; *Cælum habet Principium Motus & quietis*, ergo *Cælum est Ens naturale*; *Temperantia est bona qualitas Mentis*; ergo *Temperantia est virtus*.

14. Unde *Axioma Topicum* omnes illas argumentationes Exercitas ingreditur, vel formaliter & *explicitè* dum ad formam Syllogisticam reducuntur; ut not. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 23. Vel *implicitè* & virtualiter, quà *idealiter* & objectivè concurrunt, ut Regulæ dirigentes argumentationes

tationes Topicas ejus *Loci Maximæ*, iisque præstant firmitatem; unde negatâ consequentiâ, eo *Axiomate* rectè probatur.

15. *Locus Differentiæ Maximarum*, est sub quo plures comprehenduntur *Loci Maximæ*, de quæstione *unius* Prædicati Topici; & per quem, *Loci Maximæ* contenti sub alio *Loco Differentiæ Maximarum*, de quæstione *alterius* Prædicati Topici, distinguuntur: sic *Locus à Definitione*, est, quo omnes *Maximæ à Definitione*, differunt à *Loco à Concomitantibus quidditatem*; & omnibus *Maximis* eo Loco comprehensis.

16. *Locus Differentiæ* commodè dividitur, in *Intrinsecum*, *Extrinsecum* & *Medium*. *Intrinsecus* est, in quo Medium Argumenti, quod est *Terminus* inferens, spectat ad *Quidditatem* Termini illati; vel ejus quidditatem aliquo modo concomitatur. *Extrinsecus* est, in quo Medium non est *In*, sed *Extra* Terminum illatum. *Medius* est, in quo Medium inferens est *partim In*, *partim Extra*, Terminum illatum.

---

§. 4.

Locus Differentiæ Maximarum Intrinsecus.

17. *Locus Differentiæ Maximarum Intrinsecus* est duplex, sc. à *Definitione*, quo spectant omnes Maximæ ab inferentibus sese mutuò conver-

convertibiliter: & à *concomitantibus quidditatem*, non convertibiliter.

18. *Locus à Definitione ad Definitum* habet *quatuor Locos Maximas*. Maxima Prima. *De quocunque dicitur definitio, & definitum*; ut *Temperantia est bona qualitas Mentis*, ergo *Temperantia est virtus*. Maxima Secunda. *Quicquid dicitur de definitione, & de definito*; ut *bona qualitas mentis est laudabilis*, ergo *virtus est laudabilis*. Maxima Tertia. *De quocunque negatur definitio, & definitum*; ut *Leo non est animal rationale*, ergo *Leo non est Homo*. Maxima Quarta. *Quicquid negatur de Definitione, & de definito*; ut *animal rationale non est Brutum*, ergo *Homo non est Brutum*.

19. Similes quatuor *Loci Maximæ* sunt *à Definito ad Definitionem*; præsertim respectu *Accidentis per Accidens*, quia hoc immediatè afficit singularia; deinde ordinatè *minus communia*; ut *aliquod album est Homo*, ergo *aliquod album est animal rationale*. Quatuor etiam sunt *à Definitione ad Passionem*, & tot *à Passione ad Definitionem*; similiter tot *à Differentia ad Passionem*, & è *contra*; tot *à Specie ad differentiam*, & è *contra*; tot *à Specie ad Passionem*, & è *contra*.

20. Nota autem, *Locum Differentiæ Maximarum, à Definitione*, Locosque Maximas in eo comprehensas, non esse *Topicos* seu Opinativos & Probabiles, in *rigore*; nisi, vel Terminus medius, sit tantum *Probabiliter* notus spectare ad *Locum* hujus Differentiæ Maximarum; vel non sciatur, *distinctè* & *certò*, extremum alterum Conclusionis, esse connexum Termino inferenti.

21.

21. Ad firmitatem Hujus loci, requiritur Primò, quòd *Neuter Terminus supponat materialiter, vel simpliciter*; unde non valet, *Homo est Communis generis, ergo animal rationale est communis generis; Animal Rationale est Definitio*, ergo *Homo est Definitio.* Secundo, quod *non involvatur actus aliquis Intellectus*, unde non valet, *scio Hominem esse Risibvum*, ergo *Scio animal rationale esse Risitivum.* Tertiò, quod *Propositiones non æquivaleant Modalibus*; unde non valet, *Hominem esse Risitivum est demonstrabile à priori*, ergo *animal rationale esse Risitivum est Demonstrabile à priori.*

22. *Locus à Concomitantibus quidditatem, non convertibiliter*; est, quorum unus Terminus est *In alio*, quia autem contingit unum Terminum esse *In alio* octo modis, sc. ut *in Toto*, ut *in Parte*, ut *in Causâ*, ut *in Effectu*, ut *in Generatione*, ut *in Corruptione*, ut *in Usu*, & ut *in Communiter Accidentibus*; Idcirco, *Locus* Differentiæ Maximarum Intrinsecus, *à Concomitantibus* quidditatem inconvertibiliter, continet sub se *octo Locos* Differentiæ Maximarum, sc. *à Toto*, *à Parte*; *à Causâ*, *ab Effectu*, *à Generatione*, *à Corruptione*, *ab Usu*, & *à Communiter Accidentibus*: quorum quivis proprios Locos Maximas sub se complectitur.

23. *Locus à Toto* dividitur, sicut Totum, in *sex Modos*; qui sunt *à Toto Universali*, *à Toto Integrali*, *à Toto Quantitativo*, *à Toto in Modo*, *à Toto in Loco*, & *à Toto in tempore*; è contra, *Locus à Parte* habet *sex Modos*, similis Denominationis.

24. Locus *à Toto Universali, ad Partem Subjectivam*, est à Superiori, quod est *Totum Potentiale*

lentiale respectu suorum Inferiorum; tale est *Genus* respectu Specierum, *Species* respectu suorum Individuorum; *Differentia* respectu Inferiorum Speciei quam constituit; & *Passio* respectu Inferiorum sui Subjecti adæquati, ut *Animal* respectu Hominis & Bruti; *ac Homo Rationale* & *Risitivum*, respectu Petri & Pauli; è contra *Pars Subjectiva* est inferius Totius Universalis; si ergo Terminus inferens est Totum Universale, Locus Maxima est à *Toto Universali*; Si Pars, est à *parte Subjectivâ*.

25. Locus à *Toto Universali* habet *tres Locos Maximas*. Maxima Prima. *Quicquid dicitur de Toto universali, per se, vel disjunctim; etiam de quâvis ejus parte Subjectivâ dicitur.* Unde si *Homo est animal*, etiam *Petrus est animal*, & *Paulus est animal*; *si animal est rationale vel irrationale*; etiam *Homo est rationalis vel irrationalis*; & *Brutum est rationale vel irrationale.*

26. Maxima Secunda. *Quicquid negatur de toto universali, per se, Primo vel Secundo modo, de quâvis ejus parte negatur; in aliis Praedicatis, solum Disjunctim*; si enim *animal non est non vivens*, ergo *neque Homo est non vivens, neque Brutum est non vivens*; si *Brutum non est Risitivum*; ergo *neque Equus est Risitivus, neque canis est Risitivus*; similiter si *animal non est rationale*, ergo *vel Homo, vel Brutum non est rationale.*

27. Maxima Tertia. *De Quocunque negatur Totum, & quævis ejus Pars; ut lapis non est animal*; ergo *Lapis non est Homo; neque Lapis est Brutum.*

28. Locus à *Parte Subjectivâ* habet etiam

tres

tres locos Maximas. Maxima Prima. *Quicquid dicitur de parte Subjectivâ, non materialiter, vel simpliciter supponente, dicitur de Toto*; ut *Homo est Substantia*, ergo *animal est Substantia*; *animal est album*, ergo *vivens est album*; non enim valet; *Homo est dyssyllabon*; ergo *animal est dyssyllabon*; vel *Homo est Species Ima*; ergo *animal est Species Ima*.

29. Maxima Secunda: *De Quo dicitur Pars Subjectiva, dicitur Totum*; ut *Petrus est Homo*, ergo *Petrus est animal*. Maxima Tertia. *Quicquid negatur de Parte Subjectivâ, Subjecto consistente, & vagè supponente, negatur de Toto*; ut *Homo non est albus*, id est, *aliquis Homo est*, & *non est affectus albedine*; ergo *aliquod animal non est album*; non enim valet, *nullus Homo est Brutum*, ergo *nullum animal est Brutum*.

30. Locus *à Toto integrali*; est à Toto habente partes extra sese, ad ipsas partes; hæ autem Partes, vel sunt *Principales*; ut in *Homine* sunt *Cerebrum*, *Cor*, *Hepar*; In *Domo*; *Fundamenta*, *parietes*, *Tectum*; vel *minus Principales*; ut in *Homine*, *Auris*, *Manus*, *Pes*; in *Domo*, *Later*, *tignum*, *clavus*: è contra, Locus *à Parte Integrali*, est ab istiusmodi partibus ad Totum.

31. Locus *à Toto Integrali* habet *tres locos Maximas*. Maxima Prima. *Posito Toto Integrali, de Secundo adjacente, ponitur Pars Integralis Principalis*; ut *Domus est*, ergo *Tectum est*; *Homo est*, ergo *Cor est*. Maxima Secunda. *Posito Toto Integrali, de Tertio adjacente, necessariò consequente Secundum adjacens*; *ponitur Pars principalis*, ut *Homo est existens*,

ergo *Cor est existens.* Maxima Tertia. *Sublato Toto, tollitur pars Integralis Disjunctim*, ut *non est Domus*, ergo vel *non est paries*, vel *non est fundamentum*, vel *non est tectum*; seu vel *ex partes sunt disjunctæ.*

32. Locus *à Parte Integrali*, habet *tres Locos Maximos.* Maxima Prima. *Positis & unitis partibus Integralibus Principalibus, ponitur Totum*; ut *sunt*, & *sunt unita, fundamentum, Paries*, & *Tectum*, ergo *est Domus.* Maxima Secunda. *Sublata parte principali Integrali, tollitur Totum*; ut *non est cor*, ergo *non est Homo.* Maxima Tertia. *Quicquid, necessaria consequens est Secundum adjacens, negatur de parte Integrali, etiam negatur de Toto*, ut *Fundamentum non est existens*, ergo *Domus non est existens.*

33. Locus *à Toto in Quantitate*, est à termino affecto *signo universali*, adeoque personaliter supponente; ut *omnis Homo.* Pars in *Quantitate*, est quodvis personaliter subcontentorum, ut *aliquis Homo*, *Petrus* &c.

34. Locus *à Toto in Quantitate*, habet *duos Locos Maximos.* Maxima Prima. *Quicquid affirmatur vel negatur de Toto in Quantitate, affirmatur vel negatur de quavis ejus parte*; ut *omne animal est Corpus*; ergo & *Homo est Corpus*, & *Brutum est Corpus*; *omnis Homo est albus*, ergo *Petrus est albus*, & *Paulus est albus*; *nullus Homo est lapis*; ergo *neque Petrus est Lapis*, *neque Paulus est Lapis.* Maxima Secunda. *De Quo affirmatur vel negatur Totum, etiam & Partes*; ut *Christus habuit omnem Scientiam*, ergo *habuit Logicam*, & *Naturalem* &c. *Judas nullam habuit virtutem*; ergo *neque*

habuit temperantiam, neque Justitiam &c.

35. Locus *à Parte in Quantitate*, habet duos *Locos Maximas*. Maxima Prima. *Quicquid affirmatur, vel negatur de Partibus copulativè sumptis, etiam de Toto quantitativo*; ut *Homo est Substantia, & Brutum est Substantia* &c. Ergo *omne animal est Substantia*; neque *Homo est Lapis*, neque *Brutum est Lapis*, ergo *nullum animal est Lapis*. Maxima Secunda. *De quo affirmantur, vel negantur Partes Quantitativæ Copulativè sumptæ, & Totum*; ut *Petrus est prudens, Justus* &c. Ergo *habet omnem virtutem, Lapis non videt, nec audit* &c. Ergo *nullum habet sensum*.

36. Verum nota ex *l.* 1. *c.* 3. *n.* 18. In *affirmativis*, omnes Partes, etiam *indeterminatæ*, videre esse *Compossibiles*; unde non valet, *Petrus potest portare hunc Lapidem Determinatum, & illum* &c. Ergo *omnem*; supposito quòd alii quin *confusus* sit, quem portare non potest cum aliis; sed est *Fallacia Figuræ Dictionis* ex dictis *c.* 3. *n.* 28.

37. Locus *à Toto in modo*, est à Termino communi sumpto *sine Determinatione modificante*, respectu solum Inferiorum Accidentalium; è contra, *à Parte in Modo*, ab eodem Termino communi cum Determinatione.

38. *Determinatio* autem hæc est triplex, sc. *Alienans, Diminuens* & *Restringens*; de quibus *l.* 1. *c.* 1. *n.* 79. Ut autem in hoc Loco Differentiæ, inde fiant Argumentationes, observandæ sunt sequentes *Regulæ*.

39. *Regula Prima*. Non valet Argumentum, *à Toto in Modo ad Partes*; quando Modus est

Distrahens, vel Diminuens; unde non valet; *Cadaver non est Homo*, ergo *non est Homo mortuus*: *Æthiops non est albus*, ergo *non est albus dentes*.

40. *Regula Secunda.* Valet Argumentum, à Parte in Modo, ad ipsum Modum affirmativè; ut *Cadaver est Homo mortuus*, ergo *est mortuus*; *Æthiops est albus dentes*, ergo *est habens dentes*.

41. Modus itaque, secundum quem arguitur in hoc Loco, debet esse *Determinatio Restringens*. Unde *Regula Tertia.* Ut bene arguatur à Toto in Modo ad partem Restrictam negativè, vel à Parte ad totum affirmativè, copula debet æque afficere terminum communem & Restringentem; ut sc. prædicatum, quoad utrumque, intelligatur subjecto uniri; unde, hæ non valent; *Petrus non sit Homo*, ergo *non sit Homo Doctus*; *Petrus sit homo sanus*, ergo *sit Homo*. *Regula Quarta.* Arguendo à Toto in Modo, Totum debet sumi Universaliter; à Parte verò, Totum debet sumi Personaliter; aliàs enim in Arguendo non foret processus à Toto, vel ad Totum; Ut ex Maximis patebit.

42. Itaque Locus *à Toto in Modo* habet *duas Locos Maximas*. Maxima Prima. *Quicquid dicitur, vel negatur de Toto, dicitur vel negatur de quâvis ejus parte restrictâ*; ut, *omnis Homo currit*, ergo *Homo albus currit*, & *Homo sanus currit*: *nullus Homo currit*, ergo *neque Homo niger currit*, *neque Homo Doctus currit*: Maxima Secunda. *De quo dicitur vel negatur Totum in Modo, dicitur vel negatur Pars*; Ut *Deus creavit omne vivens*, ergo *creavit magnum & parvum*: *Deus non diligit*

fucatorem, ergo *neque Superbum, neque Avarum.*

43. Locus quoque *à Parte in Modo* habet *duos Locos Maximos.* Maxima Prima. *Quicquid dicitur vel negatur de Parte in Modo, dicitur vel negatur de Toto*; Ut *Homo albus currit, ergo aliquis Homo currit; Homo claudus non currit*, ergo *aliquis Homo non currit.* Maxima Secunda. *De quo dicitur vel negatur Pars in Modo, & Totum*; ut *Homo est animal bipes, ergo est aliquod animal*; *Homo non est animal quadrupes*, ergo *non est aliquod animal.*

44. Loci, *à Toto in Loco & tempore*, sunt Secundum *Adverbia*, omnem Locum vel tempus significantia; Ut *ubique, nusquam: semper, nunquam*: E contra, *A Parte in Loco & Tempore*, sunt secundum *Adverbia*, significantia Locum vel Tempus particulariter, Ut *hic, nunc: aliquando, aliquando non* &c.

45. Habent autem Loci à Toto in Loco & tempore *unum* Locum *Maximam.* Maxima. *Posito vel remoto, Toto in Loco vel Tempore, etiam partes ponuntur vel removentur*; Ut *Deus est ubique & semper*; ergo *est hic & nunc*: Chymæra est *nusquam & nunquam*, ergo *neque est hic, neque nunc.*

46. Loci *à parte in Loco & Tempore* habent *duos Locos Maximas*; Maxima Prima. *Positâ uni Parte Loci vel temporis, removetur Totum Contradictorium*; ut *Petrus est hic & nunc*, ergo *non est nullibi aut nunquam. Petrus non est hic & nunc*, ergo *non est ubique aut semper.* Maxima secunda. *Positis omnibus partibus Loci vel Temporis, ponitur totum; remotis, removetur*; Ut *Deus est hic & ibi* &c. Ergo *est*

ubique: *Petrus non est nunc & tunc* &c. Ergo *non est semper.*

47. Cùm autem *Adverbia* hæc *Universalia*, virtute includant signum Universale respectu Loci & Temporis, adeoque ipsa distribuant; Loci prælati *ad Totum in quantitate* reduci possunt; Ut ex *Maximis*, illi Loco Differentiæ propriis à constat, *n.* 34.

48. Locus Differentiæ Maximæ, *à Causa ad Effectum*, est *quadruplex*; sicut ipsa Causa, ex dictis *cap.* 1. *n.* 63. *&* 64. Verum quamvis duæ causæ sint *Extrinsecæ*, quia tamen magnam habent cum *rei Entitate* affinitatem, Maximæ inde sumptæ, ad Locum *Differentiæ* Maximarum Intrinsecum, reductivè spectant.

49. Notandum autem, Causam Extrinsecam *Efficientem* esse, vel *Necessariam*, sine quâ effectus poni non potest; adeoque *mutuo sese ponunt & tollunt*; talis est *Lux* solis respectu diei; vel tantum *sufficientem*, per quam ponitur effectus, licet hic aliunde poni possit; unde *posita ponit effectum*, *ablata* autem *non tollit*; è contra verò, *posito Effectu*, *non necessario ponitur causa*; *eo* autem *ablato*, *tollitur*; patit de *Jugulatione* respectu *Mortis.*

50. Utraque est, vel Efficiens in *Potentiâ tantum*, quomodo intelligitur ut prior suo Effectu; idque *proximè* vel *remotè*, prout subsistat, vel non subsistat concausis vel Conditionibus ad agendum necessariis; vel efficiens *in actu*, dum effectus intelligitur egrediens extra suam causam. Iterum utraque in actu, est, vel *generans*, si habeat terminari ad Effectum aliquem positivum vel *Corrumpens*, si Effectum positivum tollat.

51.

51. Locus à *Causa Efficiente in potentiâ* habet *duos Locos Maximos*. Maxima Prima. *Posita Causa Efficiente in potentia, proximè vel remotè, Effectus est similiter possibilis*; & è contra. Ut *Architectus est*, ergo *Domus potest fieri*; & è *contra*. Maxima Secunda. *Ablata Causa Efficiente in potentia, tollitur Effectus*, & è *contra*; Ut *Architectus non est*, ergo *Domus non potest fieri*; & è *contra*.

52. Locus à *Causa Efficiente in actu* habet *tres Locos Maximos*; Maxima Prima. *Posita Causa Efficiente in actu, effectus successivus fit, instantaneus fit & est*; quia enim is acquiritur per *motum*, cujus *fieri* non est ejus *factum esse*; Unde, si *ædificans est*, *Domus fit*, non statim *est facta*; hic autem, quia acquiritur in *instanti*, simul *fit* & *est*; adeoque si *sol est illuminans*, *aer fit & est lucidus*. Maxima Secunda. *Ablata Causa Efficiente in Actu, tollitur effectus in fieri, non in facto esse*; si enim *ædificans non est*, *Domus non fit*; licet adhuc possit *esse*; nisi tam in *esse facto*, quam in *fieri*, pendeat ab Actuali Causæ influxu; sic enim, si *aer est Lucidus*, *est lux ipsum illuminans*. Maxima Tertia. *Posito vel ablato effectu in fieri, ponitur vel tollitur Efficiens in actu*; ut *fit Domus*, ergo *est ædificans*; *non fit Domus*, ergo *non est ædificans*; Idem dicendum de *Effectu in facto esse*, dum tam in *facto esse*, quam in *fieri*, petit continuum causæ influxum ad sui conservationem in *esse recepto*.

53. Ex conditionibus causæ Efficientis *generantis* vel *corrumpentis* colliguntur *duo Loci Maximæ*; Maxima Prima. *Cujus generans est bonum, & ipsum bonum; cujus malum, malum*;

sc.

sc. *ut Plurimum*; & præsertim, si Agens sit *naturale*, *non impeditum*; unde, si *artifex est bonus*, *artefactum est*, ut plurimum *bonum*; sique *phantasia sit læsa*, *sensatio erit imperfecta*. Maxima secunda. *Si causa interimens est bona*, *interemptum est malum*; *si mala*, *bonum*; ut *quia Christus destruxit peccatum*, *peccatum est malum*; & quia *peccatum occidit animam*, *vita animæ est bona*.

54. Effectus causæ finalis (qui est res, vel rei assecutio præintenta, quâ actu posita) sunt Media quædam *per se*, seu quæ ex *naturâ suâ* & ex *opere operato*, ad eum finem acquirendum sunt ordinata; & respectu talium, Locus à *Fine* habet *duos Locos Maximas*. Maxima Prima. *Positâ Intentione efficaci finis*, *proportionata Media sunt assumenda*; sic si *vis ad vitam ingredi*, *debes servare mandata*. Maxima Secunda. *Qualis est finis*, *talia sunt Media* ad ipsum assequendum assumpta; sc. *bona vel mala*. Unde si *Deo adhærere sit bonum*, etiam *vita moraliter honesta erit bona*; & licet *dare Elemosynam sit bonum*, non tamen *furari*, ut inde habeas quod *des*, quia non est *Medium operis*, sed ex intentione *Operantis*.

55. Causa *Materialis*, est, vel *ex quâ*, ut aliquo præexistente aliquid fit; estque vel *permanens*, ut *Æs* in statuâ; vel *transiens*, ut *semen* respectu herbæ; vel *In quâ*, ut in subjecto in qua aliquid, recipitur, ut *aqua* respectu caloris; vel *circa quam*, ut *objectum*, circa quod potentia animæ, ejusque operationes & habitus versantur; ut *color respectu* potentiæ visivæ.

56. A *Causa Materiali Quatuor* sunt *Loci Maximæ*,

Maximæ utiles ad argumentationem Topicam. Maxima Prima. *Posita Materia quâcunque, possibile est effectus*, in suo genere & ordine; sic *posito ære, aut subjecto inhæsionis, vel objecto scientiæ, possibile est statua, aut accidens capax*, vel *scientia* circa illud. Maxima Secunda. *Remotâ materiâ permanente, tollitur effectus; non verò remota transeunte, quoad esse.* Ut *non est æs*, ergo *non est statua*; non verò, si *non est Semen*, ergo *non est herba*; dixi, *quoad esse*; bene enim valet, *non est Semen*, ergo *non potest esse herba*; item, *non est, neque fuit Semen*, ergo *non est herba.*

57. Ad hanc Maximam spectant argumentationes, ad affectiones *naturaliter* materiam consequentes; quia enim *Materia*, ob propensionem ad omnes formas, est *principium corruptionis*, omne compositum materiale est corruptibile; ut Scot. 3. *d.* 22. *n.* 9. Similiter quia melius organi *Temperamentum* reddit sensum magis vivacem, ex optimâ carnis Christi complexione, infert Scot. 3. *d.* 15. *n.* 18. Passionis ejus acerbitatem.

58. Maxima Tertia, *Posito effectu causæ Materialis ex quâ, ponitur materia permanens; tollitur transiens;* Ut *est statua*, ergo *est æs*; *est flos*, ergo *non est Semen*, Maxima Quarta. *quanto Materia circa quam est dignior, tanto & quæ circa ipsam versantur*; Unde *tanto Theologia est* aliis Doctrinis *præstantior, quanto Deus* præstat *aliis* scibilibus.

59. Causa *Formalis* est, quæ *dat esse rei*, sese ei communicando; estque vel *Essentialis*, ut *forma aquæ* Respectu aquæ, vel accidentalis ut *calor* eidem aquæ inhærens.

60.

60. Locus à *Causâ Formali*, habet *duos Locos Maximos*; Maxima Prima. *Posita vel sublatâ Causâ formali, ponitur vel tollitur ejus effectus Formalis*; ut *est forma aquæ*, ergo *est aqua*; *non est albedo*, ergo *non est album*. Maxima Secunda. *Posito vel sublato effectu formali, ponitur vel tollitur forma*. Ut; *est animatum*, ergo *est anima*; *non est album*, ergo *non est albedo*. Verum, ut præfatæ *Maximæ* sint universaliter veræ, intelligendæ sunt de iis formis quæ in suo *fieri*, *esse* & *conservari* pendent à materia; ac de his, Secundum *Modum* quem habent *Essendi connaturalem*; non enim sequitur, *anima rationalis est*, ergo *Homo est*; *Homo non est*, ergo *anima rationalis non est*; quia anima rationalis non est forma Materialis; similiter, si *quantitas possit* supernaturaliter existere extra omne subjectum, non sequitur, *quantitas est*, ergo *quantum est*; *quantum non est*, ergo *quantitas non est*. Si tamen per causam formalem intelligatur, forma *actu causans*, adeoque per ly *est*, intelligatur tum *actualis existentia*, tum etiam *actualis informatio*; Maximæ inserviunt argumentationibus ab *omni causa formali*.

61. Ad Locum à *Causa formali*, cujus exercitium est respectu *Materiæ in quâ*, de quâ *n.* 55. Spectat Locus, *Ab inesse, ad Denominare*; id est, si forma inest subjecto, vel suppositо, eadem forma potest de ipso prædicari in *Concreto*; si enim *albedo inest parieti*, bene valet, ergo *paries est albus*.

62. Ut autem hic argumentandi modus sit validus; Primò, *forma debet subjectum intrinsecè afficere*; non enim sequitur, *aurum inest*

ineſt burſa, ergo *burſa eſt aurea*. Secundo, *forma debet habere prævalentem gradum intentionem*; cùm enim Secundum Philoſophos communiter, qualitatibus tribuantur octo gradus aliquoti, quamvis aquæ ineſſent tres caloris gradus, non tamen licet inferre, ergo *aqua eſt calida*, ſed tantum *quod ſit tepida*, ob ſimul inexiſtens frigus prædominans; quandoque etiam forma petit ineſſe ſubjecto ſecundum *plures partes Extentionis*; non enim ſequitur, ſi *albedo ineſt Æthiopi*, ergo *Æthiops eſt albus*; dixi, *quandoque*, dum enim forma accidentalis ſubjectum ſibi determinat, ut *criſpitudo* capillos, *ſimitas* naſum, *claudicatio* pedem &c. ab *ineſſe* parti, licet minori, ſequitur *denominare* totius; inde enim Homo dicitur *criſpus*, *ſimus*, *claudus* &c. Debet quoque forma ſæpius ſubjectum aliquanto *permanentius* afficere; quia Is cui *ineſt pallor ex timore*, vel *rubor ex verecundia*, non propterea dicitur *pallidus vel rubicundus*.

63. Tertio. *Concretum denominans debet eſſe formæ proportionatum*; non enim, ſi *dormienti ineſt intellectus*, ſequitur, ergo *intelligit*; ſed tantum, ergo *eſt intellectivus*; quia ly *intelligere eſt* proprium concretum ly *intellectio*. Demum Quarto. *Modus denominandi debet correſpondere modo Ineſſendi*; ſi enim *color ineſt albedini*, non ſequitur, ergo *albedo eſt colorata*; quia modus *ineſſendi* eſt eſſentialis, modus *denominandi* eſt accidentalis; ſimiliter, licet *relatio æqualitatis inſit toti pedi & cuivis ejus parti*, non tamen ſequitur, ergo *quævis pars eſt æqualis*: quia forma ineſt toti, ut ſubjecto *adæquato*, cuivis parti *inadæquatè* ſolum.

64.

64. E contra, sequitur, *à Denominare, ad Inesse*; dum ex denominatione in Concreto, infertur inexistentia formæ in subjecto; qui arguendi modus, petit Primo, *quod procedatur à denominativo intrinseco*; non enim, si *paries est visus*, ergo *ipsi inest visio*; Secundo, *procedi debet à denominativo ad proprium abstractum*; non enim sequitur, *dormiens* est *intellectivus*, ergo *ipsi inest intellectio*; his autem servatis limitationibus, *Regula* tenet; si enim *paries est albus*, ergo *inest ipsi albedo*; si *corpori insit anima*, ergo *ipsum est animatum*.

65. Locus *à Generatione & Corruptione* est, quoad acquisitionem vel amissionem cujusvis *Esse*, tam scilicet *accidentalis*, quam *substantialis*, quoad affectiones *Boni* vel *Mali*; unde colliguntur *duo Loci Maximæ*, ex dictis *n.* 53.

66. Maxima Prima. *Cujus Generatio est bona ipsum est bonum; cujus mala, malum*; Ut *Nativitas Christi est bona*, ergo *Christus est bonus*; *Ortus Judæ est malus*, ergo *Judas est malus*. Maxima Secunda. *Cujus corruptio est bona, ipsum est malum; cujus mala, bonum*. Ut *Mors homicidæ est bona*, ergo *ipse malus*; *occisio Innocentis mala*, ergo *ipse bonus*.

67. Notandum verò, non debere argumentari ex hoc Loco, penes solum *per accidens* bonum vel malum; non enim valet, *Mors Christi est bona*, quia fuit *Meritoria* Redemptionis generis humani; ergo *Christus est malus*; quia tantum *per accidens bono*, sc. dependenter à libero Dei decreto, de *taliter* redimendo mundo.

78. Locus *ab Usu* est, ab exercitio Rei usitatæ, habetque *unum* solum *Locum Maximum*; Maxi-

Maxima. *Cujus usus bonus, ipsum est bonum; cujus malus, Malum*; Ut, si *sumptio potionis medicæ conducit sanitati, Medicina est bona*; si *nocet, est mala.*

79. Ut autem hæc Maxima sit firma, Cavendum primò; ne pro *Usu* accipiatur *Abusus*, non enim, si *inebriari est malum*, ergo *vinum*, in se, vel moderatè sumptum, *est malum.* Secundò, ne per *Usum* intelligatur *applicatio* illa, quæ rei Utili ex natura sua non convenit, sed ex voluntate ipsius *Utentis*, non enim, si *consideratio offensæ excitat pœnitentiam salutarem*, ergo *offensa est Salutaris*; neque si *eleemosyna est bona, donatio alieni est bona.*

80. Locus *à communiter accidentibus*, est; quo aliud probatur esse, eò quod aliud cui *ut plurimum* est conjunctum, *est*, vel pro *eodem* tempore, vel pro *diverso*; adeoque habet *duos Locos Maximas.* Max. 1. *A communiter accidentibus, pro tempore eodem, valet argumentum affirmativè*; Ut, *sunt Bacchanalia*, ergo *sunt comporationes*; *Accusatus pallet*, ergo *est reus.* Max. 2. *A communiter accidentibus, pro diverso tempore*, valet argumentatio, *à priori Negativè*, *à posteriori affirmativè*; Ut, *Antichristus non est natus*, ergo *nondum est mortuus*; *Christus est mortuus*, ergo *vixit.*

§. 5.

Locus Differentiæ Maximarum Extrinsecus.

81. *Locus Differentiæ Maximarum extrinsecus* est, quando terminus *Inferens* est extra *Illatum*, licet ei *connexus* aliquo modo, quoad *consequentiæ* illationem; Unde continet sub se *Septem Locos Differentiæ Maximarum*, sc. *Ab Oppositis*, *A Majori*, *A Minori*, *A Simili*, *A Proportione*, *A Transsumptione*, & *Ab Authoritate*.

82. Locus *ab Oppositis* est *quadruplex* juxta divisionem Oppositorum, *l. 1. c. 1. n. 55.* quorum quodvis habet *proprios Locos Maximas*.

83. Locus *ab Oppositis in Communi*, habet *duos Locos Maximas* omnibus Oppositis communes. Max. 1. *De quocunque affirmatur unum oppositorum, alterum negatur, respectu ejusdem, & secundum idem*; Ut, si *Petrus sit pater Pauli*, ergo *non est filius Pauli*, dicitur, *respectu ejusdem*, quia respectu diversorum, *Idem* Petrus potest esse *pater & filius*; dicitur etiam, *secundum idem*, quia *eadem* aquâ redeuns ad pristinam frigiditatem, est simul *mobile* & *movens*, licet non *secundum idem*; est enim *mobilis*, qua est in potentia *formali* ad recipiendam in se frigiditatem; est autem *Movens*, quâ in potentia *Virtuali*, ad activè, per suam formam substantialem, emanandam in seipsa, frigiditatem sibi connaturalem, *ex Scot. 2. d. 25. n. 13.*

84.

84. Max. 2. *Oppositis conveniunt opposita*; Ut *albedo disgregat visum*, ergo *nigredo* vel *non albedo non disgregat visum*. Notandum tamen, ad veritatem hujus Maximæ, Primo, quod *Antecedens sit propositio per se vera*, aliquo modo; non enim valet *Album est dulce*, ergo *Nigrum est amarum*. Secundo, quod *Opposita non sint contraria sub eodem genere*, per excessum & defectum; unde non valet, *Prodigalitas est vitium*, ergo *Avaritia est virtus*. Tertio, quod *si in Antecedente, superius essentialiter prædicetur de inferiori; tunc in Consequente, contradictorium subjecti debet prædicari de contradictorio prædicati*; non enim valet, *homo est animal*, ergo *non homo est non animal*; sed, ergo *non animal est non homo*.

85. Locus à *Relativè oppositis*, habet *Unum Locum Maximum*; Max. *Posito vel remoto uno Relativè oppositorum, ponitur vel removetur alterum*; Ut, si *est pater*, ergo *est filius*; si *non est filius*, ergo *non est pater*; quod intellige, non secundum eorum Entitates *absolutas*, sed quoad formas *relativas*, quæ se mutuò inferunt & tollunt.

86. Locus à *Contrariè oppositis*, habet *duos Locos Maximos*; vel enim contraria sunt *Mediata*, quia habent formam mediam, ut *Album & Nigrum*, inter quæ mediant *Viride, flavum*, &c. vel *immediata*, quæ formam mediam non habent, sed tantum subjectum utriusque capax. Max. 1. *Posito uno contrariorum Mediatorum in subjecto, removetur alterum*; non è contra, Ut, *paries est albus*, ergo *non est niger*; non autem, *non est niger*, ergo *est albus*. Max. 2. *Posito uno contrariorum immediatorum in subjecto*.

jecto, removetur alterum; & è *contra*, in *subjecto consistente*, & *apto nato*; Ut *Petrus est sanus*, ergo *non est æger*; *Petrus non est æger*, ergo *est sanus*; dicitur *in subjecto consistente*; non enim valet; *Adam non est sanus*, ergo *est æger*, quia subjectum *non* habet *statum*; dicitur, *in apto nato*; non enim valet, *lapis non est æger*, ergo *est sanus*; adeoque posterior pars hujus *Maximæ*, oppositionem privativam involvit.

87. Locus à *Privativè oppositis*, habet *duos Locos Maximas*; Max. 1. *Posito uno privativè oppositorum, removetur alterum*; Ut, si *Petrus videt*, ergo *non est cæcus*. Max. 2. *Remoto uno Privativè oppositorum, si subjectum consistat, sit aptum natum, adsitque tempus debitum, ponitur alterum*, quando privatio negat *actum* tantum, non quando negat *principium ejus*; Ut *aer non est lucidus*, ergo *sunt tenebræ*. Dicitur, primò si *subjectum consistat*; quia non valet, *Adam non videt*; ergo *est cæcus*. Secundò si *sit aptum natum*; quia non tenet, *lapis non videt*, ergo *est cæcus*. Tertio, *si adsit tempus debitum*, non enim sequitur, *Catulus ante nonum diem non videt*, ergo *est cæcus*. Additur; *Non quando negat principium actus*; tunc enim, remoto actu, non ponitur privatio, seu negatio alicujus principii agendi; unde non *valet*, *dormiens non videt*, ergo *est cæcus*.

88. Locus à *Contradictoriè Oppositis* habet *duos Locos Maximas*; vel enim propositiones Dialecticæ sunt contradictoriæ *complexæ*, per affirmationem & negationem copulæ verbalis; vel tantum *incomplexæ*, quia negativa non negat totum, quod affirmativa affirmat; sed vel

præ-

praedicatum solùm, vel etiam *copulam*, sed non omne *syncategoroma* ipsum restringens.

89. Max. 1. *Si unum Contradictoriorum complexorum, vel incomplexorum sine determinatione, sit verum, alterum erit falsum*; patet ex dictis *l. 1. c. 2. n. 50.* Unde si. est verum, *Petrus est homo*; ergo est falsum, *Petrus non est homo*; seu *Petrus est non homo*. Max. 2. *Si unum contradictiorum incomplexorum cum determinatione, sit falsum, alterum non statim est verum*; Unde licet sit falsum, *Petrus, quà homo, est albus*; non tamen est verum, *Petrus, quà homo, non est albus*, seu *Petrus, quà homo, est non albus*; quia ex dictis *ibid. n. 51.* datur Medium, sc. *Petrus non est albus, quà homo*; seu *Petrus, non quà homo, est albus*; seu *Petrus non est albus.*

90. Huc spectat Locus à *Disparatis*, qui habet *Duos Locos Maximas*; Max. prima. *Remoto uno Disparatorum, non statim ponitur alterum*; non enim sequitur, *Aliquod currens non est Leo, ergo est Equus.* Max. Secunda. *Posito uno Disparatorum, removetur alterum*; primò si *disparata praedicentur.* Secundò, si *praedicata accidentalia sint abstracta*; *Ut Aliquod currens est Leo, ergo non est equus*; *albedo est color*, ergo *dulcedo non est color*; alius non valet; *Leo est animal, ergo equus non est animal*; *lac est album*; ergo *non est dulce.*

91. Locus à *Majori*, est ab eo quod majorem habet apparentiam; à *Minori*, ab eo quod minorem; habet *duos Locos Maximas.* Max. prima. *Qui potest Minus, potest Majus. Ut Petrus potest portare decem libras, ergo potest quinque.* Max. Secunda. *Qui non potest Majus, non po-*

est *Minus*; Ut *Petrus non potest portare duas libras*, ergo *non potest viginti*.

92. Loci à *Simili*, & à *Proportione*, sunt penes convenientiam rerum in qualitatibus, vel aliis earum conditionibus; habet unum *Locum Maximum*. Max. *Similium & Proportionalium est par Ratio*; Ut *sicut se habet Rex in Regno, sic paterfamilias in suâ domo*; sc. in prudenti gubernativâ, hinc & inde; quia in eis est paritas; non autem quoad administrationem belli, collectionem vectigalium, &c. in quibus convenientia non est.

93. Huc spectat Locus à *proportione permutatâ*, quoad *Antecedere* duarum Proportionum, & *Sequi* earundem permutatarum; Ut *Scot. 1. d. 36. q. 12. & 4. d. 43. q. 3. n. 15.* ad *cujus* Argumentationis valorem, requirimus. *Primò*; Quod in permutatione, primus proportionum terminus comparetur cum secundo, tertius cum quarto; Ut, *sicut se habent Duo ad Quatuor, sic Tria ad Sex*; ergo permutando, *sicut se habent Duo ad Tria, sic Quatuor ad Sex*; sed *Duo ad Tria est proportio sesquialtera*, ergo etiam *Quatuor ad Sex Secundo*, Quod propositiones in *Non quantis*, constent terminis *Convertibilibus & Contradictoriis*; Ut, *sicut se habet homo ad non Hominem, sic Risitivum ad non Risitivum*; ergo permutando, *sicut se habet homo ad risitivum, sic non homo ad non risitivum*; sed *lapis est non homo*, ergo *est non risitivus*.

94. Dicitur, *convertibilibus & contradictoriis*; quia *primò*, in *Non quantis magis & minus communibus*, licet *contradictoriis*, in secunda permutatione comparari debet quartus Terminus cum secundo; Ut *sicut se habet homo ad non homi-*

hominem, sic animal ad non animal; ergo permutando, *sicut se habet homo ad animal, sic non animal ad non hominem, sed Lapis est non animal*; ergo *est non homo*. Secundo, *in non quantis positivis, quantumvis convertibilibus*, non valet quoad *Antecedere* & *Sequi*; Ut *sicut se habet* Homo *ad hunc hominem, sic, Locus ad hunc Locum*; ergo permutando, *sicut se habet Corpus* ad Locum, *sic se habet hic* homo *ad hunc Locum*, sed *Corpus non potest esse sine Loco*, ergo *neque hoc corpus sine hoc Loco*.

95. Locus *à Transumptione* est à Termino notiori ad minus notum; habet *Unum Locum Maximam*; Max. *Quicquid affirmatur vel negatur de aliquo, sub nomine magis noto, etiam affirmatur vel negatur de eodem, sub minus noto*; *Ut Scotus est insignis Philosophus*, ergo *Doctor subtilis est insignis Philosophus*.

96. Locus *ab Authoritate*, est à Judicio Prudentûm, in certâ aliquâ Scientia, vel Arte; habet *unum Locum Maximam*; Max. *Cuivis in sua arte, affirmanti vel neganti, est assentiendum*, eoque magis, quo est magis expertus; ac proinde *divinæ authoritati* asserenti vel neganti, præsertim credendum est; Utpote, quæ ob supremam scientiam omnium, non potest falli in cognoscendo, & ob voluntatem rectissimam, non potest *fallere* in revelando; dicitur *neganti*, non enim tenet ab *authoritate negata*, seu à *non Authoritate* determinante ad alteram partem Contradictionis.

§. 4.

Locus Differentiæ Maximarum Medius.

97. *Locus Differentiæ Maximarum Medius* est, quando Terminus *inferens* & *illatus* partim *convenient*, partim *differunt*; Continetque sub se *Tres Locos Differentiæ Maximarum* specificos, sc. *à Conjugatis*, *à Casibus*, & *à Divisione*.

98. *Conjugata*, *stricte*, sunt *Concretum* & *Abstractum* ejusdem significationis principalis, de quibus l. 1. c. 1. n. 20. Ut *Justus*, *Justitia*, *Justum stricte* est; plura *denominativa* ab eadem formâ inflexa; sive ea sint *Nomina*, sive *Adjectiva*, sive *Adverbia*, &c. Ut à *Justitia*, *Justum*, *Juste*, &c. Communiter verò, utraque recte *Conjugata* dicuntur, eo quod sub ejusdem significationis principalis jugo contineantur; quantumvis etiam, sæpe Voce, non conveniant; Ut *Virtus*, *studiosus*; quæ enim soli voce conveniunt, Conjugata non sunt; Ut *somnus somnolentus*, quia ly *somnus* naturalem sensum locationem significat; ly *somnolentus*, pigrum & desidiosum.

99. Locus à *Conjugatis* seu *Casibus*, *Unum* solum habet *Locum Maximam*; Max. *Cum quæ cohæret*, *vel non cohæret Unum Conjugatorum*, *cohærent vel non cohærent reliqua*; ut *bonum est obedire*, ergo *bona est obedientia*; *Justitia est laudabilis*, ergo *Juste agere est laudabiliter agere*.

100. Verùm ad firmitatem hujus *Maximæ*, Notandum *primò*, quod non teneat in *Conjugatis, quoad Vocem* tantum; Unde non valet, *Difformitas est forma*, ergo *difformis est formosus*. Secundo, quando Propositiones Dialecticæ sunt *per Accidens primo Modo*, non tenet *affirmativè*; Unde non valet, *Album est Dulce*, ergo *Albedo est dulcedo*; bene *negativè* à Concretis, Ut *album non est nigrum*, ergo *albedo non est nigredo*.

101. Tertio, debet esse *debitus* Conjugatorum Correspondentium *progressus*; non enim valet; *Justitia est laudabilis*, ergo *justum agere est laudabiliter agere*; quia restituere gladium depositum est *agere justum*, quod non sit *laudabiliter* furioso; proinde inferendum est, ergo *justè agere est laudabiliter agere*; vel ergo *justum agere est laudabile agere*.

102. Quarto, *In Concretis substantiæ non tenet*, Ut non valet, *homo est animal*, ergo *humanitas est animalitas*; eo quod præscindatur fundamentum Identitatis prædicati ad subjectum, Ut dictum est, *l.* 1. *c.* 2. *n.* 25. eâque ratione, etiam à Concretis Accidentium non rectè proceditur ad *Ultimatè* abstracta ut *Scot. t. d.* 5. *q.* 1. *n.* 6. Unde non valet, *albedo est color*, ergo *ratio albedinis est ratio coloris*.

103 Divisio ex *l.* 1. *c.* 3. *n.* 104. totum in partes separat, partium autem dividentium, vel alterum est *negativum*, vel utrumque est *positivum*; & tunc, vel *per se includunt* totum, vel ambo *accidunt* Toti Diviso.

104. Locus à *Divisione* habet *Duos Locos Maximas*; Max. prima. *Cui Unum dividentium inest, alterum non inest*; Ut, *Lapis est*

 sub-

substantia, ergo non est accidens; Lapis est Ens vel non Ens; atqui non est non Ens, ergo est Ens. Maxima secunda. *ab affirmatione divisi de subjecto, & negatione unius dividendi, vel omnium dempto uno, de eodem; ad affirmationem alterius, tenet consequentia; Ut homo est animal, non irrationale; seu non equus, Leo, vel aliquod cæterorum animalium irrationalium, ergo est animal rationale.*

CAPUT III.

De Syllogismo Sophistico.

§. 1.

De Sophismate.

1. SYllogismus *Sophisticus* seu pseudographus est, qui ex *præmissis apparenter veris*, quæ tamen à parte rei veræ non sunt, *colligit conclusionem erroneam*; ut proinde *Error* in Argumentationibus evitetur, aperiendæ sunt latebræ *Sophismatum*, quibus discursus erronei niuntur.

2. Est autem *Sophisma in actu exercito*, propositio quæ primo aspectu apparet vera, licet plurima adsit formido de oppositio; unde facto examine solerti, clarè deprehenditur esse falsa.

3.

3. Trahitur *Sophisma* è *sedibus* quibusdam *Sophismatum Differentiis*, quæ *Sophismata in dicto fiunto* seu *Fallacia* dicuntur; quia subministrant Media seu Motiva communia assensuum Sophisticorum, ex quibus intellectus discurrens sine matura consideratione, ad deceptoriè concludendum impellitur; cognitis autem, causâ apparentiæ, ac causâ deceptionis, in eâ apparentiæ causâ, inclusæ, deceptio evitatur.

4. In quâvis igitur *fallacia* duo reperiuntur; primum est, *Causa apparentiæ Veritatis*, quæ inclinat ad assentiendum propositioni, ac si verè esset vera; Secundum est, *Causa deceptionis*, latens in eâ causâ apparentiæ, quæ facit propositionem, cui intellectus ex eo motivo assentitur, esse falsam. Quamvis enim causa deceptionis manifestata non decipiat, occultata tamen assensum deceptorium negativè causat, eo quod causa apparentiæ, per eam occultationem *non impedita*, deceptionem operetur.

5. *Sedes differentiæ fallaciarum* est, sub quâ plures fallaciæ collectæ, ab iis alterius Sedis discriminantur; ac in communi dividitur Sedem Differentiæ Fallaciarum *In dictione*, & *Extra dictionem*, & ad has sedes, omnes *Fallaciarum* Modi reduci debent.

6. Fallacia *In dictione* est, quæ habet apparentiam veritatis, *vi signi vocalis unius, plura tamen ad placitum significantis*; *Extra dictionem* est, quæ habet apparentiam Veritatis *ex ipsis rebus, iisdem, quæ tamen multiplicem dicunt inter se habitudinem*, signis Vocalibus indistinctim significatam. Unde illic, Causa deceptionis est, ea *Vocum in significando*; hic,

habitudinum significatarum, immanifesta pluralitas. Hujusque manifestatio, ac proinde Fallaciæ detectio, ad *Sophistam* spectat, ut sit verax *Philologista*.

---

§. 2.

Sedes Differentiæ Fallaciarum in Dictione.

7. SEdes Differentiæ Fallaciarum *In Dictione*, *Sex* sub se comprehendit *Fallacias*, sc. *Æquivocationis*, *Amphibologiæ*, *Compositionis*, *Divisionis*, *Accentûs* & *Figuræ Dictionis*.

8. *Fallacia Æquivocationis* oritur ex unitate vocis simplicis, quæ plura habet significata; habet *tres Modos*. *Primus* est, dum vox est terminus *æquivocus à Casu*, ut *omnis Canis movetur progressivè*, *aliquod Sydus* est *Canis*, ergo *aliquod Sydus movetur progressivè*. *Secundus* est, dum vox est terminus *æquivocus à Consilio*, Ut *omne currens habet pedes*, *aliqua aqua currit*, ergo *aliqua aqua habet pedes*. *Tertius* est, dum Vox, per se, rem unam significat; aliis autem vocibus *composita*, res diversas significat, Ut *Immortale est æternum*, *potens non mori est Immortale*, ergo *potens non mori est æternum*.

9. *Causa apparentiæ* veritatis in his modis, est Vox una, cujus significatorum pluralitas est *causa deceptionis*; adeoque solvitur *Fallacia æqui-*

equivocationis, distinguendo *Vocem*, pars diversa quæ importat significata; nam in Primo Modo, ly *Canis*, in *Majori*, supponit pro *animali terrestri*; in *Minori* pro *Constellatione*; in Secundo Modo, ly *currit*, in *Majori*, supponit pro motu *progressivo* veloci, in *Minori* pro *fluxu* celeri; In Tertio Modo, ly *immortale* negat, tam *potentiam* quam *actum* moriendi; in *Minori* negat *actum* solùm.

10. *Fallacia Amphibologia* oritur ex unitate Orationis, quæ diversas patitur significationes; habet *tres Modos*. *Primus Modus* est, quando Oratio habet plures sensus, *proprios*; ut *Aristoteles habet omne quod est suum, hic liber est Aristotelis*; ergo *Aristoteles habet ipsum*. *Secundus est*, quando Oratio habet plures sensus, unum *proprium*, alterum *Metaphoricum*; ut *qui arat littus scindit terram, qui facit aliquid frustra, arat littus*; ergo *faciens aliquid frustra, scindit terram*. *Tertius* est, quando Oratio varias patitur constructiones, Ut *dicens Pœnos viciſſe Romanos, dicit verum*, atqui *dicens Romanos viciſſe Pœnos, dicit Pœnos viciſſe Romanos*, ergo dicens *Romanos viciſſe Pœnos, dicit verum*.

11. *Causa apparentiæ* veritatis in his Modis est Orationis integræ *unitas*, *Causa* verò *deceptionis* est significationum *diversitas*; adeoque solvitur hæc *Fallacia Amphibologia*, distinguendo Orationem per explicationem earum significationum latentium. Nam in *Primo* Modo, ly *Est*, in *Majori* significat habitudinem *possessoris*, in *Minori* verò habitudinem *Auctoris*. In *Secundo* Modo, ly *Arat* in *Majori* significat *propriè*, in *minori* autem tantum *proveꝛ-*

proverbialiter. In *Tertio* modo, ly *Pœna*, in constructione *antecedit* Verbum in *Majori*; si igitur in Prima parte Minoris, similiter construatur, Minor est *vera*; sin autem in constructione *sequatur* Verbum, Minor est *Falsa*.

12. *Fallacia Compositionis & Divisionis* oriuntur ex propositionibus admittentibus sensus, *Compositum & Divisum*; sic quod *Fallacia Compositionis* fit, dum propositio importat *unionem* vero similem, eorum quæ sunt in re separata, *Divisionis* autem fit, dum importat verosimillem *separationem*, eorum quæ sunt realiter unita; *utraque* habet *tres Modos*.

13. *Primus Modus* Fallaciæ *Compositionis* est, dum proceditur à Propositione *Modali* verâ in sensu *diviso*, ad falsam in sensu *Composito*, Ut *possibiliter album est possibile esse album*, *nigrum est possibiliter album*, ergo *possibile est nigrum esse album*; *Divisionis* autem, dum proceditur à propositione *Modali*, in sensu *Composito* verâ, ad falsam in sensu *diviso*, Ut *currentem non moveri est Impossibile*, *Petrus currit*, ergo *Petrum non moveri est Impossibile*;

14. *Secundus Modus* Fallaciæ *Compositionis* est, dum arguitur à Propositione *Copulativâ* vel *Disjunctivâ*, veris, ad *Copulatas* vel *Disjunctas*, falsas; Ut *Duo sunt par*, *& tria sunt impar*, atqui *Quinque sunt duo & tria*, ergo *quinque sunt par & impar*; similiter, *Vel omne brutum est animal rationale*; *vel omne brutum est animal irrationale*; atqui *omnis equus est brutum*, ergo *est animal rationale vel irrationale*. Ubi tamen ly *Vel* stat pro ly *sive*; alias con-

consequens Disjunctum erit verum; quia ex l. 1. c. 1. n. 70. Ille bona consequentia, à *Disjunctivo ad Disjunctum*. Divisionis est, dum arguitur à propositione *Copulatâ* vel *Disjunctâ* veris, ad *Copulativum* vel *disjunctivum* falsus; Ut, *Omnis elementa sunt quatuor; Ignis, Aer, Aqua & Terra sunt omnia Elementa, ergo Ignis est quatuor, & Aer est quatuor &c.* Similiter, *hic vel ille oculus est necessarius ad videndum; oculus dexter & sinister sunt hic & ille oculus*, ergo *vel oculus dexter est necessarius ad videndum, vel oculus sinister est necessarius ad videndum*;

15. *Tertius Modus* fallaciæ *Compositionis est*, quando vox, in oratione, est diversò modo construibilis, procedituruque à constructione ejus, cum voce *Sequenti* vel *remotâ*, veræ; ad Constructionem ejusdem cum *antecedenti* vel *proximâ*, falsam; Ut *nemo qui peccat, hodie pœnitet, omnis deserens hodie pœnitet* ergo *nullus deserens, peccat hodie. Divisionis* est, dum procedit ur à Constructione vocis variè construibilis, cum voce *antecedenti* vel *proximâ*, veræ; ad ejusdem Constructionem cum *sequenti* vel *remotâ*, falsas; Ut *qui Literas scit nunc*, eas didicit; legens literas *nunc eas scit*, ergo legens, *nunc eas didicit.*

16. *Causa apparentiæ* veritatis in his Modis, est Propositionum *compositarum* & *divisarum* apparens æquipollentia, *causa* vero *deceptionis* est latens sensuum compositi & *divisi* diversitas, secundum quos Propositiones sunt distinguendæ, ut Fallaciæ detegantur. Unde in *Primo Modo Compositionis*, si vy *possibile* afficiat *Copulam dicti*, in *majori*, facit sensum *divi-*

sum

sum verum; si autem prædicetur de *toto Dicto*, facit sensum *Compositum*, falsum, secundum dicta *l. 1. c. 2. n. 32.* Similiter in *Primo* Modo *Divisionis*, ly *Impossibile* dictum de *Dicto*, facit sensum *Compositum* verum in *Majori*, respectu illius prædicati Modalis, ex quo fallaciter colligitur consequens, ubi negatio motus separatur à cursu, adeoque habetur sensus *Divisus* falsus, respectu ly *impossibile*.

17. In *Secundo* Modo *Compositionis*, à *Copulativa*, ly *Et*, in *Majori* Hypotheticâ facit sensum *Divisum*, quia copulat integras Propositiones distinctas, habentes Distincta extrema affirmata quarum cum ambæ sint secundum se veræ tota est vera ex *l. 1. c. 2. n. 40.* Verum ly *Et*, in *Minori* Categorica de Prædicato *Copulato*; importat utriusque partis Prædicati convenientiam, respectu ejusdem subjecti simul; unde dum similiter in Conclusione copulantur Prædicata *Majoris* Hypothericæ, fit sensus *compositus* falsus, quia veritas Propositionis Categoricæ attenditur penes unionem totius Prædicati cum subjecto, quod in Proposito est unum, cui simul inesse non possunt Prædicata incompossibilia.

18. A *Disjunctivâ* quoque in *Secundo* Modo *Compositionis*, ly *Vel* in *Majori* Hypotheticâ facit sensum divisum, quia copulat Propositiones distinctas, quarum quia altera solùm est falsa, tota est vera, ex *l. c. n. 41.* In Conclusione autem quà est solum voce tenus disjuncta, quia ly *vel* accipitur pro ly *sive*, seu *tam*, habetur solum sensus *Compositus* falsus; quia Prædicatum est compositum ex partibus, quæ simul eidem subjecto non possunt convenire.

19.

19. In *Secundo* Modo *Divisionis*, à *Copulatâ*, Prædicatum *Majoris* est numerus Cardinalis; qui semper facit subjectum supponere *Collectim* ex *l. 1. c. 1. n. 66.* adeoque facit sensum *Compositum* verum; in Conclusione autem, ly *Et*, est signum Hypothetícum copulativum ejusdem Prædicati *Majoris* Categoricæ, respectu partium subjectivarum, subjecti Majoris *distinctim*, quomodo facit sensum divisum falsum, ex *l. c. n. 69.*

20. A *Disjunctâ* etiam in *Secundo* Modo fallaciæ *Divisionis*, ly, *vel*, est signum suppositionis *Confusæ*, quomodo importat, prædicatum competere alicui parti subjecti complexi *indistinctim* & sub conditione ex *l. c. n. 68.* Proinde facit sensum *compositum* verum; in conclusione autem ly *vel* est copula disjunctiva, ad cujus veritatem, altera tantum Categoricæ pars debet esse determinatè falsa, in proposito autem utraque est falsa, eo quod *neuter bonus est distinctim necessarius ad vivendum*; adeoque facit sensum *divisum* falsum.

21. In *Tertio* Modo, notandum est, quod sensus sit *compositus*, quando vox construitur cum alia voce, quæ in totâ oratione aptius & propinquius cum ipsâ convenit; qualis est vox *antecedens*, & ipsi *propinquior*, eo quod talis magis accedat ad suppositum verbi, à quo voces habent conficere dictionem compositam, cuique totius orationis vis nititur; è contra, sensus *divisus* est, dum vox vario Modo construibilis, construitur cum voce *sequenti* vel *remotiori*. Itaque in *Tertio* Modo Fallaciæ *Compositionis*, ly *bodie* constructum in *Majori* cum ly *pœnitet*, facit sensum *divisum* verum; dum-

ceps

ceps autem in *consequenti* constructum cum ly *peccat* facit sensum *compositum* falsum. E contra, ly *nunc* in *Majori* constructum cum ly *scit*, facit sensum *Compositum* verum, constructum autem cum ly *didicit* in *Conclusione*, facit sensum *divisum* falsum.

22. *Fallacia Accentus* oritur ex materiali vocis Identitate, ut *causa apparentiæ*, ejusque diversitate in modo *Elocutionis* vel *scriptionis* ut *causa deceptionis*. Habet *tres Modos*. Primus est, dum variatur *Aspiratio* vel *Accentus*, in pronuntiatione; ut *ara est in Templo*, *stabulum porcorum est Hara*, ergo *stabulum porcorum est in Templo*; causa deceptionis est *Ara* & *Hara*, pene *lens* & *asperum*; item *populus est arbor*; *gens est populus*, ergo *gens est arbor*; ly *populus* est causa deceptionis, quia in *Majori* habet *antepenultimam* longam, in *minori* brevem. *Secundus Modus* est, penes *scriptionem*, cum, vel sine *Dipthongo*, ut *Equus est brutum*, *justus est æquus*, ergo *justus est brutum*; diversa scriptio ly *Equus* & *æquus* est causa deceptionis. *Tertius Modus* est, per scriptionem vocis, cum, vel sine *divisione*, Ut *quod fit* invitè *fit violenter*, *vinum fit* in vite, ergo *vinum fit violenter*, deceptio oritur ex Modo scribendi ly *invitè*, & *in vite*.

23. *Fallacia Figuræ Dictionis* oritur ex apparenti quadam *dictionum similitudine*, Ut causa *apparentiæ*, & proprietatum *Grammaticalium* vel *Logicalium* diversitate, ut causa *deceptionis*; habetque plures sub se fallendi *Modos*, qui *ad tres* commodè reduci possunt. *Primus Modus* est, dum commiscentur plures proprietates *Grammaticæ*, Ut *Comica est fœminei generis*;

veris, ergo *cometa est fœminei generis*; *omnis Homo est bonus*, *aliqua fœmina est Homo*, ergo *aliqua fœmina est bonus*; *legor est verbum passivum*, ergo *sequor est verbum passivum*, & Fallaciæ hujus Modi, solvuntur per detectionem earum proprietatum *Grammaticalium* distinctarum, quæ sunt deceptionis causæ.

24. *Secundus Modus* Fallaciæ *Figuræ dictionis* oritur ex commutatione signorum *distributivorum* generum prædicamentalium, quorum apparens affinitas est causa apparentiæ veritatis, occulta autem eorundem diversitas est causa deceptionis; Unde ly *Quicquid* & *Quodlibet* sunt propria signa distributiva *Substantiæ*; ly *quantumcunque* est distributivum *Quantitatis continuæ*, ly *Quotcunque* quantitatis *discretæ*, ly *Qualecunque* est distributivum *Qualitatis*, ly *Quandocunque* est distributivum *Temporis*; ly *ubicumque* est distributum *Loci*.

25. Ad Propositum, in hac argumentatione, *Quicquid carnium emisti*, *comedisti*; *emisti carnes crudas*, ergo *comedisti carnes crudas*; sub signo distributivo *Substantiæ* subsumitur pars Subjectiva signi distributivi *qualitatis*; similiter in hac, *Quantoscunque digitos habuisti heri*, *habes hodie*; *heri habuisti denos digitos*, ergo *etiam hodie habes denos* Digitos; est transitus à distributivo *Quantitatis continuæ*, ad partem Subjectivam quantitatis *discretæ*; Major enim est *hodie* vera, etiam *minoribus* digitis abscissis.

26. *Tertius Modus* Fallaciæ *Figuræ Dictionis* est, per commutationem *Quale quid* in *hoc aliquid*, eoque nomine communiter censetur hic Modus, licet sæpius contingat per variationem *Hoc aliquid*

quid in Quale quid; similitudo autem Dictionum significantium Quale quid, & hoc aliquid, est Causa Apparentiæ; Causa autem deceptionis est, sub iis latentes diversæ dictionum proprietates seu figuræ Logicales, quæ communiter per ly Quale quid, & ly Hoc aliquid, intelliguntur, ubi per ly Quale quid, intelligitur ratio habens se per Modum alicujus communis seu determinabilis, per ly hoc aliquid intelligitur aliquid se habens per Modum alicujus singularis seu determinati, adeoque magnam habet latitudinem, prout ipsum commune seu determinabile, & singulare seu determinatum quæ in argumentatione possunt commutari decepturè.

27. Igitur huc spectat, *Primò*, omnis argumentatio, in quâ commutatur terminorum Suppositio, contra regulas *Descensus & Ascensus*, de quibus plura *l. 1. c. 1. §. 16.* Excipe tamen commutationem suppositionis ortam à signo distributivo, ut *ibid.* noto *c. 3. n. 43.* Quia alias sub Medio *distributo* in *Majori*, non posset subsumi *particulare*, contra Regulas *Darii & Ferio*. *Secundò* Argumentationes contra regulas *Affectionum* terminorum vi *Denominativi determinantis*, de quibus satis *c. 11. cit. §. 12.*

28. *Tertiò*, huc spectant, Argumentationes contra Regulas *Inductionis*, de quibus *c. 3. cit. n. 18.* Quò attinet Secundò, Modus argumentandi à *pluribus determinatis ad unum*, ut Scot. *3. d. 37. n. 7.* seu à Termino *supponente determinatè* respectu *partium in Quantitate*, ad supponentem, *determinatè* respectu *Totius in quantitate*; seu pro aliqua parte totius *confusâ*, ut notâ *l. 2. c. 2. n. 36.* Ut *Deus non est sub*

præcep-

praeterito diligendus nunc, neque tunc, neque alio tempore determinato, ergo *nullo tempore*, seu *non pro aliquo confuso* & indeterminato, attinet quoque Secundo, *Modus argumentandi contra Regulam de non Distributo non distribuendo* ex *l.* 1. *c.* 3. *n.* 35. Ut *hic Homo est animal, ille Homo est animal* &c. Ergo *omnis Homo est omne animal.*

29. Quartò huc spectant argumentationes; in quibus mutatur *Quod* in *Quo*, seu *Res* in *Modum*, ut Scot. 1. *d.* 2. *q.* 3. *n.* 7. Ut *Cognosco hunc Hominem*, ergo *cognosco ipsum ut hunc*. quò reducitur, Primò omnis deceptio orta ex commutatione in *Modo praedicandi*, ut Scot. *quodl.* 5. *D.* Ut *Essentia divina est infinita, paternitas in divinis est essentia divina*, ergo *paternitas divina est infinita*; quia ut Scot. 4. *d.* 12. *q.* 2. *n.* 21. Minor est solum *identicè perfectè vera*, conclusio autem, quia ejus praedicatum est terminus concretus, habet praedicationem *formalem*; quomodo est falsa. Secundò omnis deceptio orta ex commutatione *habitudinis actus ad principium formale, in habitudinem ad suppositum principians*, ut Scot. *quodl.* 2. *Re.* Ut *Verbum in divinis habet Memoriam perfectam*, ergo *habet principium perfectum generandi*; quia ly *generandi*, praeter respectum ad memoriam ut *principium formale*, quod est in Tribus, connotat *suppositum generans*, prius origine verbi productione passiva, Tertiò, huc attinet commutatio *Ad aliquid* in *Ad se*, ut Scot. 4. *d.* 13. *q.* 1. *n.* 22. Seu *Relativi* in *Absolutum*; Ut *producens productione producit, productio est relatio*, ergo *relatio producit*; nam ly *productio* in Majori significat principium

Quo fundamentale & absolutum, in Minori autem importat *rationem formalem* & *relativam denominandi* tantum.

§. 3.

Sedes Differentiæ Fallaciarum extra Dictionem.

30. SEdes *differentiæ fallaciarum extra dictionem* septem sub se *species* comprehendit, quæ sunt *fallacia Accidentis*, *A secundum quid ad simpliciter*, *Ignorantiæ Elenchi*, *Petitionis principii*, *Consequentis*, *Non causæ ut causæ*, & *secundum plures Interrogationes ut unam*.

31. Fallacia *Accidentis* est deceptio orta ex *inæquata* Identitate Termini medii cum *minori* extremitate, cui, ut *Rei subsistæ res Medii* accidit; non quidem accidentalitate *prædicabili*, quasi posset *abesse*, neque *Prædicamentali*, quasi ipsi *inhæreat*; sed quia cum sit partim idem ipsi, partim autem diversum, est quodammodo ipsi extraneum; qua scilicet est diversum ab ipsa; sic enim res significata per ly *animal* est extranea rei significatæ per ly *Homo*, qua ly *Homo præter rem animalis* significat *Rem rationalis* formaliter diversam; Porro fallacia *Accidentis* habet *tres Modos*.

32. *Primus Modus* est, quando in conclusione infertur *Major Identitas* inter extrema quam ipsa habent cum Medio in præmissis; Et contingit *dupliciter*, vel enim Medium *non distribuitur* in Præmissis; ut, *Homo est animal*, *Leo est animal*, *ergo Leo est Homo*; Ex regulis

Secunda Figuræ l. 1. c. 3. n. 48. Similiter, *Essentia est Pater, Essentia est Filius*, ergo *Filius est Pater*, ex dictis *ib. n. 31. & 74.* Vel Medium per se identificatur Extremis, pro ejus *significatu partialibus* præcisis, pro quibus non distribuitur, sed tantum pro *propriis suppositis*; Ut *Homo est per se animal*; *Homo est per se rationale*; ergo *rationale est per se animal*, ex *c. 1. n. 22.* et ex Scot. *1. d. 2. q. 7. n. 4.* Identitas Medii cum Extremis est causa apparentiæ, causa autem deceptionis est latens extremorum diversitas, quoad eorum rationes formales præcisas.

33. *Secundus Modus* fallaciæ Accidentis est, quando in Conclusione infertur Major *diversitas* inter ipsa Extrema quam ipsa habent cum Medio in præmissis, Ut dum contra *Primam communem* arguitur *ex puris Negativis* ex *l. 1. c. 3. n. 36.* Ut *nullus lapis est animal, nullus Homo est lapis*, ergo *nullus Homo est animal*; Ubi diversitas extremorum cum Medio est causa Apparentiæ, causa verò deceptionis est eorundem inter sese occulta Identitas, ut *Scot. cit.*

34. *Tertius modus* est, dum contra certas quasdam Regulas, proceditur à *Divisis ad conjuncta*, vel *è contra*; committitur fallacia à *Divisis*, Primò *si divisa se non habeant, ut determinabile & determinativum*, ut *Petrus est bonus & est Medicus*, ergo *est bonus Medicus*; Secundò *si determinativum æquivocum stet pro uno æquivocatorum divisim, pro altero conjunctim*, Ut *hic famulus est Pater, & est tuus*; ergo *est Pater tuus*; Tertiò dum fit *Negatio*, vel adsit Sermonis *improprietas*; Ut *Petrus est Homo, & est vir*, seu *animal*; ergo *est*

homo, *Vir*, seu *animal*; Ubi Identitas prædicatorum divisorum cum Subjecto, est causa apparentiæ; eorum autem disproportio inter se, ex aliquo præfatorum capitum, unde habent ineptitudinem ad combinari, respectu ejusdem subjecti, est causa deceptionis.

35. *E contra*, committitur fallacia à *Conjunctis*. Primò, si *determinativum sit Alienans* vel *Diminuens*, Ut *Petrus est homo mortuus*, ergo *est homo*, & *est mortuus*; *Petrus est bonus Medicus*, ergo *est bonus*, & *est Medicus*; & universaliter, quando prædicatum determinabile non convenit subjecto simpliciter, sed ut substat prædicato determinativo, ut in exemplis, & *vide l. 1. c. 1. n. 80. & 81.* Vel *è contra*, Ut *essentia divina est pater generans*, ergo *est pater & est generans*; quia ly *generans* non convenit essentiæ divinæ *per se*, sed ratione *paternitatis*; Ubi causa apparentiæ est eorum convenientia cum subjecto, sub statu combinationis; causa autem deceptionis, est alterutrius ad idem subjectum disconvenientia, sub statu solitudinis.

36. Fallacia, *A secundum quid ad simpliciter*, (Modo fallaciæ Accidentis à *Conjunctis* affinis, quà procedit à prædicato *copulato*, ad alterum eorum tantùm,) oritur ex verosimili Identitate *partis in modo*, quod est dictum *secundum quid*, & *totius in modo*, quod est dictum *simpliciter*; de quibus plura *c. 2. à. n. 37.* & habet *tres modos*.

37. *Primus modus* est, quando arguitur à *parte in modo Alienato*, vel *diminuto* secundum *locum*, *tempus*, *usum* aut *partem minorem*, *non propriam*, ad *totum in Modo*; Ut, *cadaver est homo*

homo mortuus, ergo *est homo* ex *l.* 1. *c.* 1. *n.* 80. *Non licet Mercari in templo*, ergo *non licet mercari*, *abstinendum à nuptiis diebus vetitis*, ergo *abstinendum à nuptiis*, *divitiæ non prosunt prodigo*, ergo *non prosunt*; *æthiops est albus dentes*, ergo *est albus*, de quo *l. cit. n.* 81. *divi*, *secundum partem minorem*, *non propriam*; Primo enim valet secundum partem *majorem*; si enim *pratum sit floridum secundum plures partes*, *est simpliciter floridum*; Secundò valet secundum partem *minorem propriam*, quæ scilicet est *proprium determinabile* illius denominativi *determinantis*; Ut *petrus est crispus crines*, *simus naso*, *claudus pede*, &c. ergo *est simpliciter crispus*, *simus*, *claudus* &c. Similiter in hoc Syllogismo, *Creatura* seu *Accidens est Ens secundum Quid*, ergo *est Ens*; non est fallacia *à secundum quid*, quia non *à diminuto*; cum non diminuat de *Entitate* rationis significatæ per ly *Ens*, sed tantum de *perfectione* ejus comparativè ad alterum membrum condividens, ut Scot. 4. *d.* 12. *q.* 1. *n.* 16. *Deum* scilicet, vel *substantiam*.

38. *Secundus modus* est, dum itur *à stricto ad amplum*, respectu prædicati convenientis toti; *ut totum est*; Ut *homo doctus est Ens per accidens*; ergo *homo est Ens per accidens*; *Modus sciendi quà tale*, *est objectum adæquatum Attributionis Logicæ*, ergo *Modus sciendi est objectum Logicæ attributionis adæquatum*.

39. Et in his modis, Identitas *Partis* & *Totius* in modo, est causa Apparentiæ; causa verò deceptionis est, utriusque diversitas orta ex modis præfatis, *vi quorum Totum* repugnat subjecto, vel prædicatum disconvenit *Toti*.

40. *Tertius modus* est, dum indebitè proceditur à propositionibus *de secundo adjacente*, ad pro-

positiones *de tertio adjacente*, vel è *contra*; *A de secundo*, fallacia *A secundum quid*, contingit *dupliciter*; Primò dum itur ad *De Tertio*, non necessario *affirmativè*; Ut *Petrus est*, ergo *est albus*; Secundò dum itur ad *De Tertio* necessario *negativè*; Ut *Nero non est*, ergo *non est homo*; & Utrinque Identitas Verbi *substantivi* est causa apparentiæ; causa vero deceptionis est diversitas *adjacentis* ad subjectum relati; Vi cujus oritur fallacia *A simpliciter ad secundum quid*.

41. A *De Tertio*, fallacia A *secundum quid*, contingit quoque *dupliciter*; Primò dum proceditur à *De Tertio*, necessario, *affirmativè*; Ut *Adam est homo*, ergo *Adam est*; Secundò dum proceditur à *De tertio*, *negativè*, *non negante existentiam*; Ut, *Petrus non est lapis*, aut *non est albus*; ergo *non est*; Valet enim *Hircocervus non est Ens*, seu *non est possibilis*, ergo *non est*; Et causa Apparentiæ est identitas *Verbi substantivi*, diversitas autem *adjacentiæ* ejus, Ut habet rationem copulæ, Syncategorematicæ hîc, illic mixtæ (de quibus *l.* 1. *c.* 2. *n.* 8.) est causa deceptionis.

42. Fallacia *Ignorantiæ Elenchi* est deceptio, orta in argumentando ex ignorantia Elenchi, seu *Syllogismi contradictorii*; & contingit, dum Opponens contendit contradictorium propositi à Propugnante esse verum, & tamen ignorat conditiones requisitas ad Syllogismos contradictorios; Habet *duos Modos*; *primus* est dum ignorantur conditiones *primariæ* Syllogismorum contradictoriorum; Ut dum Opponens æstimat suum Syllogismum esse in *Figura & Modo*, cum tamen non sit, & Verisimilitudo con-

consequentiæ contradictoriæ est causa Apparentiæ, defectus vero latens legitimorum *Figur. & Modi*, est causa deceptionis.

43. *Secundus modus* est, dum nesciuntur *secundariæ* conditiones Syllogismorum contradictoriorum, quæ sunt quinque, sc. *ad Idem, secundum Idem, similiter, eodem tempore*, & *eodem loco*; quas omnes Opponens judicat adesse in Syllogismo oppositio, cum tamen *una* vel *plures* desint; Ut dum propugnanti *Montem esse magnum*, & *æqualem alteri*, arguens opponit, esse *non magnum* respectu *majoris*, licet sit *magnus* respectu *minoris*, adeoque esse *magnum & non magnum*; & est fallacia ignorantiæ Elenchi, *Quoad Idem*, esseque *æqualem in longitudine*, non in *latitudine*, ac proinde esse *æqualem* & non *æqualem*; est fallacia, *Non secundum idem*; Item si dicenti, *homo est species*, opponas, quod *aliquis homo non est species*; adeoque inferas *hominem esse speciem & non esse speciem*; est fallacia, *Non similiter*; Demum, si asserenti, *Petrum studere mane & in Schola*; opponas *ipsum non studere vesperi, & in campo*, atque adeo, ipsum *studere & non studere*, est fallacia Ignorantiæ Elenchi, *quoad Idem Tempus & Locum*. Et Causa apparentiæ in his, est Verisimilitudo perfectæ contradictionis, latens autem defectus Unius vel plurium conditionum, ad Syllogismum contradictorium requisitarum, est causa deceptionis.

44. Fallacia *Petitionis principii* est deceptio orta, ex eo quod *idem probetur per seso*; & habet *tres Modos*: *primus est*, dum quidpiam probatur per eosdem, vel *Synonimos* terminos; Ut *Petrus emit gladium*, ergo *emit gladium*, seu

sua Ratione; *Secundus* est, dum aliquid probatur per terminos æque *ignotos*, ut *rationale currit*, ergo *intellectivum currit*; *Tertius* est, dum res aliqua probatur per rem *minus notam*, ut *Disciplinæ capax currit*, ergo *intellectivum currit*. Causa apparentiæ bonæ probationis est, vocum diversitas *materialis*, vel saltem *numerica*; causa deceptionis rei est, per voces significatæ Identitas.

45. Fallacia *Consequentis* est deceptio, proveniens ex *regressu* consequentiarum, in terminis *non convertibilibus*; Unde supponit consequentiam bonam, & ab illa progreditur ad malam verosimilem, ob apparentem *Consequentis* cum *Antecedente* convertibilitatem; habet *tres Modos*.

46. *Primus Modus* est, *A positione Consequentis* illati, ad *positionem Antecedentis* inferentis, in terminis *magis* & *minus* communibus *affirmativè*; Ut, quia, *si est Homo, ergo est animal*, infertur, ergo etiam, *si est animal, est Homo*; Quò spectant similes Syllogismi, *Dicens te animal dicit verum, dicens te bubonem dicit te esse animal*, ergo *dicens te bubonem dicit verum*. *Secundus* est, *A destructione Consequentis ad destructionem Antecedentis, negativè*; Ut, quia, *Si non est animal, ergo non est Homo*; inferatur, ergo etiam, *si non est Homo, non est animal*. Et causa apparentiæ est apparens consequentiarum *Identitas*, causa deceptionis est occulta earundem consequentiarum *inconvertibilitas*; ut pote constantium ex terminis magis & minus communibus.

47. *Tertius Modus* est, *quando colligitur* consequens ab *insufficienti enumeratione* conditio-

ditionum vel causarum, *requisitarum* ad positionem ejus; Ut, est *materia & forma*, & *sunt simul tempore & loco*, ergo *est totum*; quia præter hæc; ad *esse totius* requiritur earum *mutua* unio & causalitas extrinseca, & concausalitas *intrinseca* Totius, realiter à præfatis causis & conditionibus distincti.

48. Similiter ex Scot. 2. *d.* 3. *q.* 7. *n.* 7. *Duæ animæ sunt diversæ formæ*, ergo *differunt in forma* seu *formaliter*, est fallacia Consequentis, quia ad diversitatem *in forma* seu *formalem*, præter formarum pluralitatem requiritur ipsas *formas diversas* esse *rationes primas differendi*; similiter ex Scot. 3. *d.* 6. *q.* 1. *n.* 8. & *q.* 2. *n.* 3. & *d.* 8. *n.* 18. *Christus habet duas filiationes*, ergo *est duo filii*; est fallacia quia ad pluralitatem *concreti Substantivi*, præter pluralitatem *formarum*, requiritur *pluralitas suppositorum*. Item ex Scot. *quodl.* 2. *R.* *Verbum habet principium perfectum generandi*, ergo *potest producere Verbum*; est similis fallacia, quia ad actum *generandi* in divinis, præter principium *formale*, requiritur determinatio ad suppositum *prius origine* termino adæquato, in eo ordine; licet etiam spectet ad tertium Modum fallaciæ *Figuræ Dictionis ex n.* 29.

49. Unde apparens Identitas antecedentis & Consequentis, quoad rationes significatas, est causa Apparentiæ veritatis; causa vero falsitatis, est latens causarum vel conditionum, requisitarum ad consequentis veritatem, *non adæquata* enumeratio.

50. Fallacia *non causæ ut causæ*, est deceptio orta ex illatione unius propositionis falsæ, ex

ex alia; *ut causa* ejus in bona consequentia; quæ tamen causa ejus non est. Habet *tres Modos. Primus est*, dum discursivè itur ad Conclusionem falsam, tum reditur ad alteram præmissam, *ut causam* conclusionis illatæ, quæ tamen causa ejus non est; ut *omnis Homo videt*, atqui *aliquis cæcus est Homo*, ergo *aliquis cæcus videt*; subsumit Sophista, atqui *hæc Conclusio est falsa, & hoc ideo, quia minor*, sc. aliquis cæcus est Homo, *est propositio falsa*; ergo *hæc est falsa*, aliquis cæcus est Homo.

51. *Secundus Modus* est, ex Scot. 1. d. 3. q. 7. n. 28. Dum ex antecedente vero, *ut causa*, immediatè infertur consequens falsum; Ut *vinum inebriat*, ergo *vinum est ebrium*; quia vinum non est ebrium *formaliter*, sed tantum *efficienter in alieno supposito*, vim ejus ferre inepto; & ad hunc Modum spectant consequentiæ omnes peccantes contra *Axioma*, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*; de cujus Regulis plura c. 1. n. 54. & 55.

52. Porro, causa apparentiæ in hac fallacia, est verosimilis continentia consequentis, in præmissa quæ prætenditur esse causa ejus; causa vero deceptionis est latens defectus in assignando causam, vel Modum causalitatis ejus.

53. Fallacia *Secundum plures interrogationes ut unam*, est deceptio proveniens ex eo quod, pluribus quæstionibus, *ut uni*, una detur Responsio, cum tamen sua cuivis debeatur; Et habet *tres Modos*; *Primus est*, dum quæruntur *Duo de* uno, ut, *estne talpa cæca, vel non videns? estne Nero crudelis, & amens? Quo constituitur genus generalissimum? Secundus*

est

est, dum quæritur *de duobus*; Ut, *An Unum Bellicositas vel patientia, sit nobilior species fortitudinis? an Homo & brutum sint species imæ Animalis? Tertius est*, dum *duo* quæruntur *de duobus*; Ut utrum *Homo* & equus sit rationalis & irrationalis? Et licet Interrogationi de extremo incompossibili disjuncto, Responderi possit, *affirmativè*; de Extremo autem copulato, *Negativè*; ex *l.* 1. *c.* 2. *n.* 40. *&* 41. eò quod illa petat unam partem esse falsam, hæc utramque veram; tamen quia per unam responsionem, non quietatur intellectus, interrogantis de partibus *Disjunctim*; ideo cuivis parti danda est Responsio propria, v. g. *Genus generalissimum*, constituitur, in esse *generis*, per Prædicari de specie differentibus in quid; in esse autem *generalissimi*, per non subjici alteri generi; quod in Responsione ad alias Interrogationes compositas, est observandum.

54. Causa apparentiæ veritatis in hac fallacia est Interrogationis unitas apparens, causa autem deceptionis est complexio *terminorum pertinentium*, diversa significantium sub illa interrogatione latens; & in hâc pluralitatis latentiâ subsistit omnis fallaciæ efficacia, ad quam detegendam & enervandam juvat Ars Sophistica; quæ eo titulo est plurimùm utilis ad veritatis Investigationem; juvante *Prima veritate*; quæ est Deus benedictus in sæcula, Amen.

FINIS.

INDEX RERUM.

A.

Absolutum, *quid?* l. 1. c. 2. n. 22. *differt ab abstracto.* n. 23. & 24. & *à respectivo.* 30. & n. 94.

Abstractum, *quid?* l. 1. c. 2. n. 20. 23. & 24. *est triplex* n. 21. *in ultimatis non fit praedicatio.* l. 2. c. 2. n. 102.

